

# ARCHIDIACONUS,

SEU

## DE IPSIUS JURE

## ET OFFICIO,

### *LIBER,*

Autore NICOLAO JANVARIO Presbytero, Juris Pontificii Do-  
ctore, in Carnutenſi Eccleſia Dunenſi Archidiacono.

---

## TRACTATUS

# DE ABSOLUTIONE

## AD CAUTELAM,

Autore J. TOURNET Advocato Pariſienſi.

---

 MONITUM.

**D**OCTISSIMI FRANCISCI FLORENTIS  
 Manes non moleste lauros arbitror, Lector benevole,  
 quod ad primam ejus operum partem, qui tibi superiori pa-  
 gina representantur, duo Tractatus accedant. Qui enim  
 dum ipse viveret, Canonica Disciplina promovenda studio sic  
 exarsit, ut eruditissimas praelectiones suas publici fecerit juris,  
 eum doctissimis virorum eruditione praestantium lucubrationi-  
 bus locum inter suas non negaturum confido. Commendat  
 utrumque quippe Tractatum argumenti gravitas & utilitas:  
 commendat & Autorum dignitas atque doctrina. Neque  
 pervii sunt omnibus isti Tractatus, sed admodum rari: cum  
 ille quidem anno M. DC. XXV. hic verò anno  
 M. DC. XXIX. editus pridem desideretur. Tu, Lector amice,  
 nostrum hac in parte lauda conatum, & quos Iuris studio-  
 sum deceat, ex hisce quae jam nostro munere tuae sunt, Dis-  
 sertationibus fructus cape.







# ARCHIDIACONUS,

SEU

DE IPSIUS JURE ET OFFICIO,

LIBER,

*In quo præter alia hujusce argumenti, Prælatorum Jura, quæ usu inolescere possunt vel obsolescere, accuratè expenduntur.*

Autore NICOLAÛ JANVARIO Presbytero, Juris Pontificii Doctore, in Carnutensi Ecclesia Dunensi Archidiacono.

*Qui benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu. 1. ad Timoth. 3.*

VIGILANTISSIMIS

## GALLIÆ ARCHIDIACONIS,

NICOLAUS JANVARIUS, *in Ecclesia Carnotensi  
Archidiaconus Dunensis,*

Impigram sollicitudinem.

GRAVE & operosum esse Archidiaconi munus ( ECCLESIAE VIGILES SPECTATISSIMI ) vel ex ipso nomine mihi facilè fuit dignoscere: sed quanti esset ponderis, antequam humeros submisiffem, satis exploratum esse non potuit. Huic levando, valuit eximium illud decus advertere, quod ex ministerio præstantissimis Episcopis à suis Archidiaconis in rebus Ecclesiæ procurandis accuratè impenso, ita scintillat, ut sopitum animum ad illud gnaviter obeundum possit accendere. Profuit & insigne Polycleti Statuarii exemplum imitari. Hic statuat emendatissimam, præceptis de ea effingenda antea traditis conformatam edidit. Ipse è Jure Pontificio, Ecclesiæ historiâ &

communi Doctorum sensu, formando Archidiacono documenta selegi, quæ meis moribus postea exprimere conaner, meque totum ad ea exigere atque explorare. E quibus religiosè esse selecta, illoque triplici fonte hausta, etsi testati sint viri doctissimi, reducere tamen calculum non morabor, quando-cumque veritatis splendidior radius affulserit. Vobis in Ecclesiæ ministerio sociis colendissimis, ut scriptionem hanc dicarem atque inscriberem, effecit ea quæ inter ejusdem sortis & professionis homines intercedit benevolentia: eaque communis indoles, qua exercitiorum quæ consecramur, jucundam experimur esse narrationem. Quæ quidem si pro dignitate argumenti videatur contractior, aut remissior, quàm quæ studium vestrum in Ecclesiæ obsequium ardentius possit intendere: consequor saltem, in iis quæ nostri muneris sunt elucidandis, sedulitatis, observantiæ insuper in vos meæ hoc specimen extare. Valete. iiii. Nonas Januarii, quo recurrit dies viij. festi colendiss. nostri Patroni sancti Stephani Archidiaconi Protomartyris, cujus nos clientelæ quam maximè spero latorque ascriptos. Anno Christiano vigesimo quinto supra millesimum sexcentefimum. Carnuti.

## SYLLABUS CAPITUM.

- Cap. I. **D**IACONUS in Ecclesia postremus Hierarcha, supremus Minister.
- Cap. II. *Qua ratio Apostolis septem Diaconos instituendi.*
- Cap. III. *Qua oneris & honoris prima Diaconis facta accessio.*
- Cap. IV. *Diaconorum dua classes: prioris varia nomina.*
- Cap. V. *Inter Presbyteros ac Diaconos extincta discordia, & propriis quibusque servatus gradus.*
- Cap. VI. *Archidiaconis, veluti Episcoporum ministris, servata sua dignitas & honoris gradus, etiam supra Archipresbyteros.*
- Cap. VII. *Qua jure communi prestant Archidiaconi, & an ipso jure jurisdictione fungantur.*
- Cap. VIII. *Jurisdictionem fori exterioris, usu vel Superiorum indultis, Archidiaconos assequi, certissimi juris esse.*
- Cap. IX. *Qua Archidiaconis Consuetudine, Prescriptione vel Indulto accrescere possunt, qua non.*
- Cap. X. *Quis sit Archidiaconis jurium Episcopaliū usus legitimus, qua ratione inducatur, qua culpa deferatur.*
- Cap. XI. *Reliquorum qua sunt Archidiaconi miscellanea.*
- Cap. XII. *Ad Archidiaconos, ut sedulo muneri suscepto incumbant.*





D E  
**JURE ET OFFICIO**  
**ARCHIDIACONI**  
**LIBER.**

CAPUT I.

*Diaconus in Ecclesia postremus Hierarcha, supremus Minister.*



**E**CCLESIA Catholica quæ in terris militat, à Christo ita composita, ut cælestis & triumphantis Ecclesiæ sit imago quædam & exemplum. Nam in cælesti Angelorum triplicem Hierarchiam credimus: in militanti, sacri illius principatus tres classes; supremam Episcoporum, Presbyterorum mediam, infimam Diaconorum cernimus. Quas divini esse instituti, nullus diffi-

terti potest; postquam in Tridentina Synodo<sup>a</sup> dictum Anathema iis qui negarent in Ecclesia Catholica esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, qua constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris.

His pro ratione gradus cujusque subest populus fidelis, ita ut Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri.<sup>b</sup> Subdiaconi inferiorumque ordinum ministri, propriis nominibus quæ cujusque designant ministeria, distinguuntur. Sed qui ipsis præstant Diaconi<sup>c</sup>, commune cæteris ministerii nomen, veluti primarii ministri sibi vendicant.

Ecclesia primitus Diaconatum & Presbyteratum solos Ordines sacros habuit:<sup>d</sup> inter quos postea numeratus Subdiaconatus: qui eo nomine, iisdem legibus, recitandi divini officii ac perpetuæ castitatis

<sup>a</sup> D. Dionysius de cælesti Hierarchia. c. 3. 10. 11. & de Ecclesia. c. 7. & 8.

<sup>b</sup> Conc. Trid. sess. 23. de Sac. ordinis can. 6.

<sup>c</sup> D. Ign. ep. 11. ad Smyrn.

<sup>d</sup> Can. à Subdiacono 93. dist.

<sup>e</sup> cap. à multis de asat. & qual. & ord. presb.

Tunc enim  
Subdiacono-  
natus lege  
coelibatus  
eximebatur.  
<sup>a</sup> d. cap. à  
multis.

<sup>b</sup> c officium  
de off. Ar-  
chid.

<sup>c</sup> l. si servus  
17. ff. de pœ-  
nis.

<sup>d</sup> Mart. II.

servandæ est obnoxius: <sup>a</sup> quibus exempti inferiores ordines Offi-  
cius, Lector, Exorcista, Acolytus, qui minoribus officiis sub Diacono-  
rum moderamine incumbunt. <sup>b</sup>

Profana œconomia famulos suos habuit, Ordinarios, Vicarios, Me-  
diastinos: <sup>c</sup> sed nil quod cum ista Ecclesiasticorum ministrorum serie  
possit comparari.

Nominum tamen inter utrosque communio, satis apertè insinuat,  
suos Hierarchas Ecclesiam maximoperè desiderasse Christo audien-  
tes, dicenti: <sup>d</sup> *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Etenim  
hæc nomina, Diaconus seu minister, Ordinarius, Vicarius, Paro-  
chus, & pleraque alia ordinum & officiorum è profano ministerio  
vel famulatu petita, quàm parum elatis animis & austeris moribus con-  
gruant, nemo non videt.

In ministris Ecclesiæ certa sunt & discreta officia, quæ nisi quis  
sedulò exequeretur, ad superius ministerium frustra aspirabat. Unde  
& observanda probandæ industriæ stata temporis interstitia, <sup>e</sup> ei qui  
superiorem ordinem vellet conscendere.

*Videns olim regina Saba, omnem sapientiam Salomonis, & domum quam  
edificaverat, & cibos mensæ ejus, & habitacula servorum, & ordines mi-  
nistrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat in  
domo Domini, non habebat ultra spiritum.* <sup>f</sup>

At quem vehementior admiratio non invaderet, Ecclesiæ ordines,  
ritus, ministros, ipsaque ministeria penitus inspicientem. ( Ut inte-  
rim suspiciendum illud & silentio potiùs quàm verbis prædicandum  
Christi corporis sacrificium, tacitum præteream. ) Equidem tantum  
honorem Sponsæ à Christo delatum, vel multiplici pulcherrimoque  
illo ministrorum gradu & ordine in ejus familia instituto, ad stuporem  
usque nullus non posset admirari.

## CAPUT II.

*Quæ ratio Apostolis septem Diaconos instituendi.*

**A**POSTOLI ex Christi instituto, post ipsius in cælum ascensum, con-  
vocata discipulorum multitudo, septem elegerunt Diaconos, vi-  
ros boni testimonii, plenos Spiritu sancto & sapientia, Stephanum vi-  
rum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Ni-  
canorem, & Timonem seu Timotheum, & Parmenam, & Nicolaum adve-  
nam Antiochenum, & quibus Apostoli orantes imposuerunt manus.

Jam numerus credentium erat auctior; ideoque venditi cujuslibet  
fundì pretium ante pedes Apostolorum collatum, difficilè poterat  
singulis, prout euique opus erat, dividi, & in communes sumptus distri-  
bui. Apostoli quos orationi & verbi ministerio instantes oportebat,  
sefe terrenis negotiis implicitos dolebant. *Relinquere verbum Dei, &  
ministrare mensis iniquum judicabant:* idcirco septem super hoc opus  
Diaconos esse constituendos decreverunt.

Mensis



Mensis igitur sacrae scilicet & communi, Diaconi praefecti sunt: has etenim in ultima caena, Paschalis agni & proprii corporis esu conjunxerat Christus; eaque identidem Apostolorum temporibus in fidelium conventu Christi exemplo conjunctae. Cujus rei priore Epistola ad Corinthios, D. Pauli non obscurum extare testimonium <sup>a cap. II.</sup> consentiunt Interpretes.

Presbyteris igitur incruentum Christi corporis sacrificium in mensa altaris offerentibus ministrabant Diaconi, & <sup>b</sup> hunc divinum cibum & potum, Presbyterorum jussu, ceteris sodalibus distribu-

<sup>b</sup> Clem. Rom.  
l. 2. Constit.  
Cypr. serm. de  
Lapsis, Ambr.  
l. 1. de Off.

bant. Curabant insuper, ne quid alendis fidelibus in communi mensa defllet: quodque in sacrum ararium fuisset viritim in publicis congressibus collatum, <sup>c</sup> in usus quoslibet necessarios sigillatim erogaretur. Neque enim existimandum, mensarum ministerio scripturam insinuisse, communes mensas ferculis à Diaconis instruendas. Nam neque servilis istius ministerii, sed Ecclesiastici peculii largitionis onere levare Apostolos exoptasse, credere par est. Neque parandis cibariis, mensaeque apponendis, viros boni testimonii, Spiritu sancto & sapientia plenos, cœtu discipulorum convocato selectos, sacro ritu, oratione scilicet & manuum impositione ab Apostolis initiatos fuisse, ullus sanæ mentis poterit suspicari. *Quid Diaconi (scribit <sup>d</sup> D. Ignatius) nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri? & operantes illi operationem mundam & immaculatam, quomodo sanctus Stephanus beatissimo Jacobo, &c. <sup>e</sup> Idem alio loco: Sine Episcopis nil agas: Sacerdotes enim sunt; tu vero minister Sacerdotum. Illi enim baptisant, sacerdotium agunt, ordinant, manus imponunt; tu vero eis ministras, sicut sanctus Stephanus Jacobo, &c.*

<sup>c</sup> Act. II. ad  
Rom. 15. Gal.  
2. ad Cor. 16.  
1. ad Tim. 5.  
Petri 2.

<sup>d</sup> Ep. ad Tral-  
lianos.

<sup>e</sup> Epist. ad  
Heronem.

Neque enim Diaconatus simplex tantum est ministerium, seu nudum officium Ecclesiasticum, sed & sacramentum est; facitque gradum in Ecclesiastica Hierarchia, in qua etsi subsit Sacerdoti, populo tamen suo modo praest, & in eum operationem suam hierarchicam juxta Episcopi vel Presbyteri praescriptum exequitur: ut è D. Dionysii doctrina explicabitur <sup>f</sup> inferius.

<sup>f</sup> cap. 3.

Praesse populo Diaconum, satis probant ista <sup>g</sup> D. Ignatii verba, *Subjecti estote Episcopo, similiter & Presbyteris & Diaconis.* Illa <sup>h</sup> insuper ejusdem quae capite superiori nostris attexuimus.

<sup>g</sup> Ep. ad Tral-  
lianos.

<sup>h</sup> Ep. ad Smyr.

Primatum inter Diaconos habuisse D. Stephanum, censet D. Augustinus & plerique alii Graeci & Latini Patres, ideoque Primicerium Diaconorum & Archidiaconum vocant. Neque abs re Scriptura ipsa, post eximias illas dotes, quas de Diaconis electis commemorat, primum nominavit D. Stephanum, eumque testata est virum plenum fide & Spiritu sancto

At Nicolaus Diaconorum postremus immeritò spurci Nicolaitarum erroris à nonnullis autor existimatur; quorum opinioni neutiquam assentior, dissentientibus <sup>i</sup> Clemente, <sup>k</sup> Eusebio, Theodoreto & aliis, qui veritè hæreticos Nicolai nomine ad suam effrenem libidinem afferendam abusos senserunt. Quibus assentitur D. Igna-

<sup>i</sup> Strom.

<sup>k</sup> 3. Hist. cap.

232

<sup>a</sup> Ep. ad Tral.  
lian. 3.  
<sup>b</sup> Ep. ad Phi-  
ladel.  
<sup>c</sup> Constit. 6.  
cap. 8.

<sup>d</sup> L. de 72.  
discip.  
<sup>e</sup> In Synopsi.

<sup>f</sup> Act. 6.

<sup>g</sup> 1. ad Tim. 5.

<sup>h</sup> De Diaconissis Baron.  
ad an. 34.

tius paucis his verbis : <sup>a</sup> *Fugite impios Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes.* Rursus idem <sup>b</sup>, *ut qui falso nomine dicuntur Nicolaita.* Sed & D. <sup>c</sup> Clementis hæc verba consentiunt : *Alii inverecundè scortantur, quod nunc faciunt falsi nominis Nicolaita.* Imò Nicolaum illum Diaconum, ut virum probatissimum, ab Apostolis creatum fuisse Episcopum Samaritanorum, tradunt <sup>d</sup> Hippolytus & <sup>e</sup> Dorotheus à Baronio laudati ad an. 68.

Porro de mulieribus Diaconissis, quarum non infrequens mentio apud veteres qui de rebus Ecclesiasticis scripserunt, non est quod prolixius differamus, cum meræ Laicæ, sacris nostris Diaconis non sint sociandæ. Successerunt viduis illis quæ <sup>f</sup> præerant ministerio quotidiano : in quibus eligendis quæ ætas, qui mores quærentur, definit <sup>g</sup> Apostolus.

Earum ministerium versabatur circa mulieres, seu ipsis locum orationis à viris seclusum adeuntibus, ostia aperirent ; seu in aliis suam præstarent diligentiam, quæ viri citra pudorem vel suspicionem mali non potuissent exequi. Diaconissæ etiam dictæ uxores illorum, qui contracto matrimonio Diaconatum suscepissent, à quibus se junctæ, vitam etiam cœlibem agebant ; quo sensu Episcopæ leguntur & Presbyteræ. Sed neque prioribus Ecclesiæ sæculis viduas seniores, Presbyteras <sup>h</sup> nominari in usum.

### CAPUT III.

#### *Quæ oneris & honoris prima Diaconis facta accessio.*

CONSTITUTA Ecclesia, in eaque Hierarchis Episcopis, Presbyteris & Diaconis institutis : operationes seu actus hierarchici, quibus ipsi incumberent, ita præscripti, ut Diaconis Purgatio, Illuminatio Presbyteris, Episcopis Perfectio curanda proponeretur, veluti scopus in quem omni animi contentione intenderent : atque in ea multiplici & varia operatione, summi exemplaris imago cerneretur & exemplum. Deus enim, ut docet <sup>i</sup> Divus Dionysius, *mentes in quibus fuerit, expiat primum, deinde illustrat, illustratasque perficit.* Et de ministrorum operatione (cui potissimum dignoscendæ instituta hæc scriptio) documenta ista subjungit : <sup>k</sup> *Ministorum ordo est qui expiat, & dissimilia discernit, antequam ad Sacerdotum sacra veniant. Expiat eos qui adeunt, puros à contrariis efficit, dignosque sacrorum mysteriorum spectaculo & communionem.*

Ritum præterea ineundæ purgationis ita explicat : *In sancto à Deo ortu, ministri ei qui accedit veterem vestem detrahunt, atque tibialia & calceos Occidentem versus, remittendi nuncii causâ locant : rursusque traducunt ad Orientem, hortanturque eos qui adeunt, ut omnino superioris vita & amictum abjiciant ac tenebras. Docent eos desertis tenebris se ad ea que sunt lucis traducere.*

<sup>l</sup> Eccl. Hierar.  
cap. 10.

Sed & expiandorum tres ordines facit : <sup>l</sup> Alterum eorum qui à

<sup>i</sup> Eccles. Hierar. cap. 8

<sup>k</sup> Eccles. Hierar. cap. 9



ministris, scriptis divinis ad vitalem, ut ita dicam, abrenuntiationem formantur & effinguntur. In ea sunt Infideles, seu Ethnici illi sint, seu heretici. Alterum eorum qui à sancta vita, à qua desciverunt, revocantur & retrahuntur scriptorum divinatorum institutione. In quo ordine sunt peccatores poenitentes. Tertium eorum qui contrariis formidinibus adhuc per ignaviam terrentur, & confirmantur à scriptis divinis, quæ corroborandam vim habent. Quorum alii à deterioribus actionibus ad meliores præstantioresque traducuntur. Alii traducti quidem, sed nondum constantiam in divinis immutabilibusque scientiis sunt consecuti. In his curandis Diaconorum primitus studium excellit.

Verùm Ecclesiæ pia sollicitudo ad ea etiam quæ corporeis suorum incommodis depellendis essent necessaria invigilans, super his plurima, pro rerum vario statu, Diaconis peragenda decrevit. Et quod res ab ipsa origine repetita ac discussa elarior evadat, Melchiadis atque Urbani summorum Pontificum verba proferam: ut quæ causam & veluti fontem aperiant, ex quo in Diaconos operosa illa & multiplex fundi & peculii Ecclesiastici curatio ac dispensatio derivata sit.

*Futuram* (ait Melchiades <sup>a</sup>) *Ecclesiam Apostoli ingentibus prævidentes, prædia in Judæa minimè sunt adepti, sed prætia tantummodo ad fovendos egentes. At verò cum inter turbines & adversa mundi succresceret Ecclesia, ejusque suavissimo jugo nedum populi, sed & ipsi Monarchæ colla submitterent, ita ut* <sup>b</sup> *Prophetæ videretur impletum vaticinium: Erunt reges nutritii tui, & regina nutrices tue: vultu in terra demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Tum ut scribit Urbanus: <sup>c</sup> Videntes summi Sacerdotes & alii atque Levitæ & reliqui fideles, plus utilitatis posse conferre, si hereditates & agros quos vendebant Episcopi, quibus præsidebant Ecclesiis traderent; eo quod ex sumptibus eorum tam presentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum, cæperunt prædia & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere.*

Horum distributio Diaconorum ministerio fiebat, qui cognitâ cujusque inopiâ, eam necessaria erogatione levabant, ita ut fidelium nullus rei familiaris angustia premeretur. Sed & Diaconorum erat curare, ne latifundia Ecclesiastica, quæ in ditione Episcoporum cujusque Diœcesiserant, manerent inculta, ædificia denique facta tecta servarentur. Sic grave & multiplex ipsis incumberebat onus, & perquirendæ cujusque inopiæ, & servandæ suppellectilis, distribuendæ insuper pecuniæ, ædium denique ac prædiorum utiliter locandorum.

Neque enim prioribus illis sæculis partitum Ecclesiæ patrimonium, nec cuique Ecclesiastico assignatum mansum aliquod, cujus fructus in proprios usus cederent, superflui in pauperes effunderentur. Vigeat inter Christianos, Clericos maximè, mos ille ab Apostolis inductus, <sup>d</sup> quo nullus eorum quæ possidebat, aliquid suum esse diceret: sed inter eos erant omnia communia.

<sup>a</sup> c. Futuram  
12. q. 1.

<sup>b</sup> Isa. 49.

<sup>c</sup> c. Videntes  
12. q. 1.

<sup>d</sup> Actorum 4.  
& c. Dilectissimi  
mis & c.  
Nulli 12. q. 1.

Rebus verò Ecclesiæ auctis non statim ista partitio inducta est, qua, ut diximus, fundi Ecclesiastici partis decisæ rebitu Clericus aleretur: sed primùm quadripartiti reditus & oblationes in Episcopum, Clericos, Fabricam & pauperes<sup>a</sup>, quò faciliùs & utiliùs cajusque partis erogatores singulis possent prospicere. Neque enim tam citò adduci potuerunt ut à communione illa Apostolica recederent, crederentque partita prædia, æquè utiliter à singulis Clericis, ut communia à publicis Ecclesiæ ministris procurari.

<sup>a</sup> c. Concesso & seq. 12. q. 2.

Certè D. Gregorii tempore, id est ferè sexcentis annis à Christo nato exactis, illa oblationum & redituum partitio, ex communibus prædiis Episcopo in unaquaque Diocesi commendatis, vigeat adhuc; <sup>b</sup> nam ejus verba ad Augustinum Episcopum Anglorum, id probant. *Mos est, inquit, Apostolica Sedis ordinato Episcopo præcepta tradere, ut de omni stipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones, una videlicet Episcopo & familiæ ejus, propter hospitalitatem & susceptionem, alia Clero, tertia verò pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis.*

<sup>b</sup> c. Cognovimus, & cap. Mosei. & seq. 12. q. 2.

Pluribus etiam sæculis postea, aded partitio illa passim non invaluit, ut nequidem Episcopis<sup>c</sup> Eugenius Pontifex an 824. res Ecclesiæ mobiles aut immobiles in proprios usus habere permetteret.

<sup>c</sup> c. Nulli 12. q. 1.

Imò cum ipse Gratianus, qui Decreta Patrum post annum 1127. congeffit, probare contendat, perfectioni charitatis non obstare præbendarum divisionem, quâ singuli ex his quæ assignata essent, necessaria perciperent; quæ verò superessent, in communes Ecclesiæ usus expenderent<sup>d</sup>: palam est neque ipso Gratiani tempore, ubique fundi Ecclesiastici admissam fuisse partitionem, atque ed usque Diaconorum munus in Ecclesiasticis personis ac rebus procurandis penitus non cessasse.

<sup>d</sup> d. can. Nulli. §. his sita 12. q. 1.

Quantùm etiam actus illi hierarchici, quos supra è Divo Dionysio recensuimus, priscis Ecclesiæ sæculis, in asserenda disciplina, pluribusque sacris exequendis, extensi fuerint; constat ex scriptoribus illis fide & antiquitate spectatissimis, qui asserunt Diaconos mensam Domini composuisse, tempore sacrificii legisse Evangelium, utque astantes aures ad Deum attentas haberent acclamasse, \* baptizasse insuper, verbum Dei populo proposuisse, publicos pœnitentes reconciliasse, Christi corpus & sanguinem fidei populo distribuisse<sup>e</sup>, & cætera quæ solent Presbyteri ( consecratione & absolutione exceptis ) peregisse.

<sup>e</sup> c. Diaconi 93. dist.

<sup>f</sup> Act. 7. & 8. August. serm. de Vincentio.

Tertul. l. de Baptismo. Cypr. epist. 17. Conc. Nicæn.

c. 14.

<sup>g</sup> Epist. ad Iacobum fratrem Domini.

<sup>h</sup> c. Diaconi 93. dist.

<sup>i</sup> d. c. Diaconi 93. dist.

Sed & disciplinæ Ecclesiasticæ cultores & assertores fuisse docet Divus Clemens<sup>g</sup>, cum Diaconos dicit: *{Diaconi oculos oberrantes & circumlustrantes cum verecundia actus totius Ecclesiæ, & perscrutantes diligentius si quem viderint vicinum fieri precipitio, & proximum esse peccato, ut referant hac ad Episcopum: sed & de peregrinis similiter Episcopo suggerant refovendis, & cætera his similia, quæ ad cultum Ecclesiæ & disciplinam ejus pertinent, Diaconis cura sint. Hi sunt, ait<sup>h</sup> D. Hieronymus, evangelizantes pacem, annunciantes bonam, dissensiones & rixas & scandala resercentes.*



## CAPUT IV.

*Diaconorum duæ Classes : Prioris varia nomina.*

**I**N his omnibus obeundis impariter desudarunt Diaconi ; & prout in eodem Diaconatus ordine duos gradus agnovit Ecclesia , superiori gradui & majoris momenti negotia & in inferiorem gradum potestas delata est : atque ita Diaconorum duæ classes ab Ecclesia condita ad nos usque perseverarunt. Etenim cum septem illi Diaconi ministerio Ecclesiæ Apostolorum delectu atque ordinatione primùm addicti, <sup>a</sup> in cælesti militia Spiritus septem in circuitu throni Deo astantes imitentur ; <sup>b</sup> in Ecclesiæ petra firmissima , quam Zachariæ ostensus lapis designabat , septem Oculos infixos exprimant <sup>c</sup> , septem Angelos Ecclesiarum , Candelabra septem aurea <sup>d</sup> , Voces septem tonitruorum, virtutum operatione referant : <sup>e</sup> non fuit magnopere dubitandum , cur totidem Diaconi onere & honore cumulatiores , perpetua successione , in locis insignioribus , Ecclesiâ ita statuente , perdurarint. *Diaconi*, inquit <sup>f</sup> Evaristus, *qui quasi oculi videntur Episcopi, in unaquaque civitate, juxta Apostolorum constituta, septem debent esse.*

<sup>a</sup> *Mat. 6.*<sup>b</sup> *Apoc. 1. 3.*<sup>c</sup> *Zac. 3.*<sup>d</sup> *Apoc. 1.*<sup>e</sup> *Tf. 28. &*<sup>f</sup> *c. Diaconi 93. dist.*<sup>f</sup> *c. Diaconi qui quasi 93. dist.*

Idem præceperat <sup>g</sup> Anacletus , ut & <sup>h</sup> Neocæsariense Concilium : licet ubi tenuiores Ecclesiarum opes , Diaconorum numerus fuerit imminutus.

<sup>g</sup> *c. Epif. de consec. dist. 1.*<sup>h</sup> *c. Diaconi septem 93. dist.*

His septem Romæ urbis regiones quatuordecim , singulis binas , commisit Pontifex Fabianus , ut pauperum cujusque regionis curam gererent, <sup>i</sup> Augustum quodammodo imitatus, *qui coercendorum incendiorum causa septem cohortes oportunis urbis locis disposuit, ita ut binas urbis regiones unaquaque cohors presidio tutaretur.* <sup>k</sup>

<sup>i</sup> *Baron. ad ann. 111. & 112.*<sup>k</sup> *Fenestella de magistratib. Rom. cap. 24.*

Unde & *Regionarii* Diaconi dicti sunt, ut & *Cardinales* postea à Concilio Romano sub Silvestro Pontifice, quod ministerio assignatæ provinciæ mancipati, illius insignioris Ecclesiæ titulo nuncuparentur, provinciamque circumjacentem lustrantes, ipsi Ecclesiæ veluti cardini insiderent. *Antistites secundi ordinis* vocat <sup>l</sup> Sidonius Apollinarius, quod hic ordo Ministris constet ; quemadmodum ordo superior Presbyteris, quibus præest Episcopus, ut sub ipso Ministris præest Diaconus primarius Minister.

<sup>l</sup> *Ep. 114.*

Non quadrat tamen undequaque analogia Diaconi ad Episcopum qui Presbyteris & imperio præest, & ordine seu illo divino munere, quo solus sacrare Presbyteros potest, aliaque sacra exequi ; cum primarii Diaconi, solo magisterio jure humano inducto, cæteris Administris præesse videantur.

Sed propero, ut addam illos à Concilio Laodicensi *Visitatores* appellatos, ab Innocentio III. *Diaconorum Priores*. <sup>m</sup> Denique à Concilio Carthaginensi quarto, cui interfuit D. Augustinus, *Archidia-*

<sup>m</sup> *c. unico de scrnt. in orde sac.*

conos.

Quæ denominatio summis Pontificibus Jurisque Pontificii Professoribus usitatio, his solis visa est congruere, qui Episcopis ministrantes, cæteris Diaconis qui Presbyterorum ministerio incumbere essent prælati.

## CAPUT V.

*Inter Presbyteros ac Diaconos extincta discordia, & proprius quibusque servatus gradus.*

<sup>a</sup> c. Legimus 93. dist.

**D**IACONI quidem paucitate honoratior<sup>a</sup>, ac multiplici eoque præclaro ministerio elatior<sup>a</sup>, frequenti suo obsequio Clericorum studium ac benevolentiam sibi conciliare, & inter eos honorem atque autoritatem assequi potuerunt facilius, quàm modum nimium audentibus animis & suo modulo se parum metientibus statuere. Nam ut ferè solet humanum ingenium rebus erectis inolescere, proprii gradus obliti, Presbyteris (sacris tantum occupatis, & ipsa multitudine contemptioribus<sup>b</sup>) se non æquare modò, sed præferre conati sunt. In conventu quippe Presbyterorum sedere: in conviviis domesticis benedictionem coram Presbyteris dare<sup>c</sup>: in primo choro priores stare, Presbyteris in secundo choro constitutis<sup>d</sup>: absque Episcopo vel Presbytero baptizare<sup>e</sup>: denique ante ipsos Sacramenta sumere: imò his porrigere, ausu temerario præsumebant<sup>f</sup>.

<sup>b</sup> d. can. Legimus.

<sup>c</sup> d. c. Legimus.

<sup>d</sup> c. Nonnulli ead.

<sup>e</sup> c. Diaconos ead.

<sup>f</sup> c. Pervenit ead.

E diverso ne illatam injuriam præterire, sed quoquomodo retaliare viderentur Presbyteri; sedebant ipsi, dum stantes Diaconi publicè sacrum Evangelium legerent: ne si ad audiendum Evangelium religiosè consurgerent, Diaconis indecorè assurrexisse viderentur<sup>g</sup>.

<sup>g</sup> c. Apostolica de consecr. dist. 1.

Gravis sanè ac pertinax, multisque temporibus protracta contentio, quæ plurimorum Ecclesiæ procerum ingenia & calamos exercuit: cui & exorienti nec magni Nicæni Concilii censura, & renascenti aliorum Conciliorum non defuit moderatio. Etenim huic dirimendæ edita<sup>h</sup> Pelagii & <sup>i</sup> Anastasii decreta: scripta sanctorum <sup>k</sup> Cypriani, <sup>l</sup> Hieronymi, <sup>m</sup> Augustini: Canones Conciliorum <sup>n</sup> Nicæni, <sup>o</sup> Carthaginensis quarti & <sup>p</sup> sexti, Romani sub <sup>q</sup> Gelasio, <sup>r</sup> Laodicensis, <sup>s</sup> Toletani quarti, & in nostra Gallia <sup>t</sup> Arelatenis primi & <sup>u</sup> secundi, & <sup>x</sup> Andegavensis: quibus Diaconis datur præceptum, ut in sua mensura permaneant: *Se Presbyteri sicut Episcopi ministros agnoscant, qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt, Christi corpus minimè porrigant<sup>z</sup>. Post Presbyteros sacra gratiam Communionis accipiant, Episcopo aut Presbytero porrigente. Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi ipsis absentibus, necessitas extrema compellat. Sacri corporis erogationem sub conspectu Epi-*

<sup>h</sup> c. Diaconos 93. dist.

<sup>i</sup> c. Apostolica de consecr. dist. 1.

<sup>k</sup> Fp. ad Rog. relata in c. Dominus 93. dist.

<sup>l</sup> Fp. 85. ad Evagrium relata in c. Legimus 93. dist.

<sup>m</sup> August.

<sup>n</sup> August.

<sup>o</sup> August.

<sup>p</sup> August.

<sup>q</sup> August.

<sup>r</sup> August.

<sup>s</sup> August.

<sup>t</sup> August.

<sup>u</sup> August.

<sup>a</sup> c. 4. <sup>o</sup> Cap. 37. 38. & 39. c. Diaconi ita, cum duabus seq. 93. dist. <sup>p</sup> Cap. 18. <sup>q</sup> Cap. 9. & 10. <sup>r</sup> Cap. 20. & 25. & c. non oportet cum seq. 93. dist. <sup>s</sup> Cap. 38. c. Nonnulli 93. dist. <sup>t</sup> Cap. 18. <sup>u</sup> Cap. 15. <sup>x</sup> Cap. 30. <sup>y</sup> c. 11.

Diaconi ita 93. dist. <sup>z</sup> c. Pervenit ead. <sup>a</sup> c. Diaconos ead.



*scopi seu<sup>a</sup> Presbyteri ( nisi his absentibus ) jus non habeant exercendi :  
<sup>b</sup> presentibus , si necessitas cogit , jussi populo erogent. Coram Presbyteris  
 non nisi jussi sedeant. <sup>c</sup> In Presbyterorum conventu interrogati , loquan-  
 tur.*

<sup>a</sup> D.C. Diaconos.  
<sup>b</sup> C. presente ead.  
<sup>c</sup> C. Diaconus ead.

Pari æquitate expensa repressaque Presbyterorum indignatio : sanctum enim ut ipsi & ceteri omnes , non sedentes , sed venerabiliter curvi & in conspectu Evangelii stantes , dominica verba intente audirent & fideliter adorarent<sup>d</sup>.

<sup>d</sup> C. Apostolica de conj. dist. 1.

Verum quæ ex Diaconorum circa Dominicum patrimonium ministerio , contentions flamma excreverat , fundi Ecclesiastici in singulos partitione , veluti foco lignis detractis , penitus visa est evanescere. Tum enim nullis ob sæcularia cum Diaconis intercessit necessitudo : ipsis nulla distribuendi sacri redditus sollicitudo , sed sola rei sacræ tractandæ cura.

CAPUT VI.

*Archidiaconis , veluti Episcoporum Administris , servata sua dignitas & honoris gradus , etiam supra Archipresbyteros.*

QUI disciplina Ecclesiasticæ non omnino sunt ignari vel expertes , sciunt , vel solo usu docti , in collegio vel conventu Ecclesiastico primum locum ei dari , qui dignitate Ecclesiastica præstantiori fuerit insignitus : alterum ei qui ad superiorem Ordinem fuerit promotus : tertium verò ac postremum , ei qui tempore antiquiori , in sodalitium cooptatus extiterit. Ita ut tempus Ordini , Ordinem Dignitati cedere , usu multis sæculis & jure ipso firmato , minimè sit ambiguum.

Etenim in societatem prius ascito , quæ honoris sunt , cæteris paribus , ante alios accedere , certissimi Juris est<sup>e</sup>. Atque ita statuendum fuisse illustri exemplo Scriptura insinuat , quæ ut Jacobum Justum , Alphæi filium , à Jacobo filio Zebedei secernat ; illum Minorem nominat , quod posterior ad Apostolatam vocatus fuerit : hunc Majorem , quod prior Apostolus Christo adhæserit. Ut etiam in militari disciplina ,<sup>f</sup> ille gradu cæteros antecedit , quem stipendia longiora & labor prolixior fecerunt anteire.

<sup>e</sup> Reg. qui prior de reg. jur in 6.

At qui major est Ordine , in ipso confesso cæterisque honorariis , expresse Jure iis potior erit , qui priores in societatem fuerunt admissi<sup>g</sup>.

<sup>f</sup> L. Nemo C. de off. ma. c. 1. & c. Miramur. 62. dist. 5 Cap. statumus de ma. & obed.

Sed & publicis Ecclesiæ moribus inductum est , ut Ecclesiastico alicujus majoris administrationis vel officii titulo insigniti , superiores Ordine vel tempore præcedant , sintque in captandis honoribus potiores<sup>h</sup>. In sublimioribus quippe Ecclesiæ gradibus , Cardinales Presbyteri Episcopos , & in inferioribus Archipresbyteros Archidiaconi , non ordine quidem , sed officio & honoris gradu præcedunt ac superant<sup>i</sup>.

<sup>h</sup> 25. dist. c. perlectis capi 1. de off. Archid.  
<sup>i</sup> Ut Archipresbyter sciat se subesse Archidiacono , & eius præceptis se ut sui Episcopi obedire , cap. 1. de off. Archip.

*2 C. Præcipimus dist. 93.*

*6 D. C. Præcipimus.*

Id rationi minimè adversari fatebitur, qui satis expenderit non esse insolitum, in iis quæ non sunt ordinis, aliquem ex alterius persona, ea consequi, quæ ex sua nunquam assequeretur <sup>a</sup>: sextamque Synodum quæ prohibet ne Diaconus ante Presbyterum sedeat, diversum sentire, si modò Diaconus locum proprii Patriarchæ aut Metropolitanæ expleverit, quem tunc veluti vices illius agens præcipit honorari <sup>b</sup>.

Neminem insuper esse, qui Personatu aut aliqua Dignitate Ecclesiastica sub Episcopo potiatur, cui pars aliqua oneris Episcopalis non obtigerit: qui Episcopo operam vicariam in quibusdam non præstet; qui ipsius olim familiaris non fuerit. Nemo miratur si Dominus Famulos, Dux Commilitones, Apparitores Judex, ad obsequium præstò habeat. Sed neque id mirum, si Episcopus tanto pressus onere, Coadjutores, Administratos, Ordinarios, Vicarios, in itinere Comites, in mensa Sodales, in labore Socios sibi asciscat: quos non fastus supra superiores Ordines attollat, sed opus veluti industrios operarios ad architectonicum adjungat. Hi certè primas sedes occupant in choro, ut Episcopo assidentes: propiores ipsi assistunt, ut habeat paratiores. In quovis confessu vel comitatu eos offenderis, honori atque obsequio Episcopo esse comperies: idque absque eorum qui Ordine superiores sunt, honoris detrimento: cum familiares postremi viros honoratiorum qui non sunt ex familia soleant præcedere: neque enim absque Domini injuria possent ab ipsius comitatu distrahi.

Sed & absente Episcopo, solemne est & consuetum, eos qui illius levando oneri pastoritio, veluti proprio muneri insudant, ordine superiores antecedere: quod ut potestatis atque oneris Pontificii, ita & honoris quadamtenus consortes videantur: & quemadmodum in illis Episcopus honore afficitur, sic in eos honos Episcopalis recurrat.

Non fuit certè prioribus Ecclesiæ sæculis, honoris atque excellentiæ, sed humilitatis specimen, ille qui etiamnum perdurat, Episcopi cum suis administris in imo choro confessus, & in publicis supplicationibus postremæ stationes. Decet utique sæculi Principes stare, sedere, incedere anteriores, suosque retrò astare asseclas: sed Pastori gregem inspectanti & demissius se habenti antiquus Ecclesiæ ritus magis congruere visus est, quò Christi Domini verba, *Qui major est in verbis, fiat sicut minor*, menti altiùs insiderent: atque de se humiliter sentire addisceret Prælatus, cum perpenderet, statu Ecclesiæ erectiore ibi signatum honoris gradum, ubi antea ministerii humilior fuerat contestatio: quasi è nuditatis integumento, corporis ornatum, & ex verborum penuria, tropis inductis, orationis elegantiam enatam diceres.

Id verò quod diximus, sacros Episcoporum ministros in aliquam honoris, ut oneris Episcopalis societatem venire, atque ideo ordine superiores antecedere; de Archidiaconis maximè asserendum, qui plura & graviora Episcopis præstant officia, & quibus tanquam Vicariis <sup>c</sup> cura totius Cleri, jure communi demandata est. Nam jus  
ipsum.

<sup>a</sup> Cap. 1. de off. Archid.



ipsum post Episcopum, <sup>a</sup> Archidiacono majorem agnoscit neminem, & Juris titulus de officio Archidiaconi, titulum de officio Archipresbyteriac cæterorum, in quos aliquid sui oneris deponit Episcopus, præcedit <sup>b</sup>; ut non sit dubium, Archidiaconum Archipresbytero cæterisque Sacerdotibus honoris gradu potiozem, quos ipsius censura subesse ac subijci Jura statuerunt.

<sup>a</sup> D. cap. 1. & cap. ad hæc eod.

<sup>b</sup> in Decretalibus Greg. 9.

Neque tamen is Episcopi Vicarius est Archidiaconus, qui delegatam potestatem exerceat, quæ Episcopi morte vel revocatione expiret, seu cujus exercitium è nutu & arbitrio Episcopi pendeat; qualis ea quæ in mobili Vicario cernitur: sed ideo nomen Vicarii Archidiacono inditum, quòd totum ipsius munus in onere Episcopali levando versetur <sup>c</sup>, nihilque in eo obeundo præstare possit, quod non magis Episcopus ipse debeat, si solus oneri ferendo par esset.

<sup>c</sup> D. cap. 1. de off. Archid.

Quòd sit ut si prævenerit, causas subditorum Archidiaconi jurisdictionem habentis audiat, & ab eo excommunicatos absolvat <sup>d</sup>: quæ non posset in eos qui subsunt Episcopo Archiepiscopus <sup>e</sup>, cum ipsi in jure expressis tantummodo subsint. Sed neque Vicarii nomen ita acceptum impedit, ne & Ordinarius dicatur Archidiaconus, si jurisdictione potiatur.

<sup>d</sup> Cap. cum ab Ecclesia de off. ord.

<sup>e</sup> C. nullus 2. q. 4. cap. ad reprimendam. cap. Pastoralis ad quod & ibi glo. de off. ord.

Utu quidem receptissimum, Ordinarii nomine, antonomastice Episcopum intelligi, neque id temerè inductum, cum nullus in Diœcesi æquè liberam atque extensam jurisdictionem exerceat atque Episcopus: alios tamen esse in Ecclesia Episcopo cum inferiores tum superiores, qui verè & proprie Ordinarii sunt, nemo vel mediocriter in Jure versatus ignorat.

Cum enim ordinaria sit jurisdictio quælibet aut delegata; delegatam verò, ni Princeps delegaverit, vel expressè cautum fuerit, subdelegatione non extendi: morte item vel expressa revocatione delegantis perimi, sit certissimum <sup>f</sup>, necessariò consequitur jurisdictionem quæ morte Collatoris vel revocatione non extinguitur, quæque in alium delegatione transmitti potest, verè esse ordinariam; qualis omnino Archidiaconorum jurisdictio, quæ neque morte Collatorum, neque revocatione eliditur: quamque Archidiaconus aliena seu Vicaria opera exerceat <sup>g</sup>.

<sup>f</sup> Cap. velat. & cap. insinuatione & ca. licet, de off. & pot. iud. del.

<sup>g</sup> Cap. perlectis & ab Archid. 25. dist. h. Cap. Romana, de appel. in 6.

Sed non esse Delegatam, seu Vicariam, vel ex eo constat, quòd à delegato ad delegantem, ni sit princeps, nulla sit provocatio <sup>h</sup>. Ab Archidiacono verò ad Episcopum, non ad Archiepiscopum, appellationis vox emittatur, ut in Ordinaria jurisdictione, in qua gradatim est appellandum <sup>i</sup>. Quod si penitus rem indagare libuerit, eamque ad Juris mentem veluti ad perpendicularum exigere, eum verè dices Ordinarium, cui jurisdictio post gradum vel Beneficium acceptum, concessione vel commissione alterius non accesserit; sed eam jure suæ dignitatis propriam habet, eamque eo ipso quod Magistratum Ecclesiasticum est adeptus, absque speciali concessione potest exercere. Hanc Jurisdictionem Ordinariam, naturalem vocat Joannes Monachus <sup>k</sup>, quod cum ipsa Prælati dignitate nascatur occidat, individuaque societate jungatur.

<sup>i</sup> Cap. Romana de fo. comp. & cap. Romana de appel. in 6. c. anteriorum 2. q. 6.

<sup>k</sup> in Cap. 2. de cons. in 6.

<sup>a</sup> Panor. cum  
ceteris, in cap.  
Tua de cler.  
egr. cap. cum  
ab ecclesiis  
de off. ord. cap.  
decernimus. ac  
in d.  
<sup>b</sup> cap. dudum.  
2. de elect.

Prelatum enim proprie ac strictè esse eum qui Ecclesiasticam jurisdictionem contentiosi fori possidet, jure certum est, & communi<sup>a</sup> Doctorum sententiâ firmatum; etsi extensa significatione, Prælati etiam dicantur, qui gradu, honore vel administratione ratione sui Beneficii, in sacro Sodalitio eminent, licet jurisdictionis sint expertes; quos Officium aut Personatum habere, non Prælatione vel Dignitate insigniri, magis diceret, <sup>b</sup> cum nullus contentiosæ jurisdictionis exors, Prælatum stricto jure dici possit.

Quapropter correctum cap. *Decernimus, de Judiciis*, quod in eo Archidiaconi absque discrimine Prælati nominarentur, & ita jure ipso omnes viderentur Ecclesiastica jurisdictione potiri. Quoquidem jure Archidiaconorum nullus, ut etiam electum excludam, jurisdictionem contentiosam habet; sed correctionem & veluti jus quoddam paternum in subditos, maximè cum ex præscripto juris, suo munere fungitur.

Sed neque à jure extensioem obtinent Prælati alii inferiores à collegio quolibet electi. Ut meritò sibi loquendus videatur neotericus scriptor, qui in propria causa nimium sibi indulget, dum libro edito asserit jurisdictione præditos electos Archidiaconos, alios non item: neque enim Juris textus ullus qui id probet, sed plures qui improbant, dum jurisdictionem plerisque Archidiaconis firmant, absque ulla electorum à non electis distinctione.

<sup>c</sup> Panor. & Innocent. in cap. cum ab Ecclesiis de off. ord.

Optimè quidem <sup>c</sup> Juris Interpretes, electos omnes, Prælatos agnoscunt; quosdam non electos, Prælatos inficiantur: quia qui eligitur, jurisdictionem semper, etsi non contentiosam, sed qualem supra definivimus, habet in Collegium: qui instituitur, non semper habet; sed si usulegitimo, vel concessione superiorum, jurisdictionis fuerit compos, etsi non electus, nullique collegio præsit, Prælatum nihilominus certo jure dixeris.

<sup>d</sup> Cap. ut Abbates de atat. & qual. & ord. præf.

At ut probem eo nomine speciatim Archidiaconum frequentia jura dignari, ipsius Juris hæc verba profero: <sup>d</sup> *Ut Abbates Decani & Præpositi qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant, qui Archidiaconatus teneant, Diaconi, &c. Quod si aliqua justa causa prohibente, Presbyteri aut Diaconi esse non potuerint, Prælationes amittant.* Tum ista: <sup>e</sup> *Nec suffraganeorum ipsorum Officiales aut Archidiaconos, Archipresbyteros & alios inferiores Prælatos, &c.* Ita denique: <sup>f</sup> *Ab Archidiaconis verò aliisque inferioribus Prælatibus, &c.* Satis enim vel ipsis Juris tyrunculis notum est vocem, *Alius*, qualitatem præcedentium implicare.

<sup>e</sup> Cap. 1. S. nec etiam de for. comp. in 6.  
<sup>f</sup> Cap. Romana S. ab Archid. de appell. in 6.

Ut autem concedamus, egregiis his titulis priori Ecclesiæ ætate minimè donatos Archidiaconos, quando publici muneris dignitatem, non verborum momenta, sed operum pondus potentius firmabat, nulla tamen Ecclesiæ ætas ad nos usque decurrit, quæ Archidiaconorum munus, institutionis & gradus præstantiâ præclarum, atque asserendæ Ecclesiasticæ disciplinæ maximè utile non agnovit.

Imò D. Gregorii sæculo, eum honoris gradum supra Presbyteros



Archidiaconi conscenderant, ut in causa Honorati Archidiaconi, (quem Natalis Salonitanæ Ecclesiæ Episcopus invitum fecerat in Presbyterum ordinari) decreverit ipse<sup>a</sup> Gregorius, Episcopum usu Pallii, & perdurante contumacia, sacra Communione privandum, ni in statum pristinum Honoratum Archidiaconum restitueret, quem veluti ad fortiorem honorem provehens, conatus erat callidè degradare.

<sup>a</sup> C. Honoratus  
74. dist.

Unde colligere est nuperum minimè esse, sed ex veteri Ecclesiæ more productum, id quod supra asseruimus, Dignitatem seu officium aliquod insigne in ordine inferiori, ordini superiori honore præstare.

## CAPUT VII.

*Quæ jure communi præstant Archidiaconi; & an ipso jure jurisdictione fungantur.*

QUOD ex Decretali<sup>b</sup> Innocentii III. liquidò constet, quæ jure communi exequantur Archidiaconi; quodque in ea sui ministerii pensum facilè ipsi possint agnoscere, adscribere integram placuit. Sic habet: *Sanè consuluit nostra fraternitatis devotio, quid ad officium Archidiaconi debeat pertinere, & in quibus per ipsum cura Episcopalis sollicitudinis debeat relevari: & nos, prout possumus, respondemus. Archidiaconus (secundùm statuta B. Isidori) imperat Subdiaconibus & Levitis. Parochiarum sollicitudo & earum ordinatio ad ipsum pertinet, & audire debet jurgia singulorum. Archipresbyteri, qui à pluribus Decani nuncupantur, ejus jurisdictioni se noverint subjacere. Secundùm verò Romani ordinis constitutionem, major post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius reperitur; omnem sollicitudinem & curam tam in Clericis quàm in Ecclesiis eorum (prout melius secundùm Deum poterit) impendendo, cum super his sit redditurus rationem in districti examinis judicio.*

<sup>b</sup> cap. ad hoc de  
off. Archid.

Item in Epistola B. Clementis Papæ prædecessoris nostri: *Oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat & emendet, nisi adeo fuerint ardua negotia, quòd absque majoris sui presentia nequeant terminari. In quadam verò nostra Constitutione, jam alia vice nos meminimus expressisse, quod institutio corporalis tam super Beneficiis, quàm etiam Dignitatibus, ad ipsum debeat pertinere; examinatio etiam Clericorum, si fuerint ad sacros Ordines promovendi: & hoc idem in collationibus Beneficiorum credimus observandum, ut qui Beneficiis Ecclesiasticis præficiendi fuerint, à suo priùs examinentur Archidiacono, & per ipsum Episcopo postmodum presententur.*

Ex quibus Innocentii verbis, duodecim Archidiaconis indicta elicit<sup>c</sup> Panormitanus: quorum bona pars, quia absque jurisdictione perfici non potest, jurisdictionem jure communi Archidiaconis quæsitam arguit. Nam in Ecclesias Archidiaconatus visitare, Parochias ordinare, audire jurgia, Subdiaconis & Levitis, imò & Archipresbyteris impe-

<sup>c</sup> Cap. mandamus, de off. Archid.

<sup>a</sup> Sed quia pro executione ad iudicem recurrendum: qui hac sola praestat, iurisdictione praeditus dici non potest: cum nulla sit iurisdictione qua coërtionem aliquam non habeat l. fin. ff. de off. eius qui mand. est iurisd. nulla id est modici effectus. Valet enim quod ordinatum, et si executio pendat à superiori.

rare, corrigenda denique corrigere & emendare, jurisdictionis esse nemo nescit<sup>a</sup>.

Quapropter utra sententia potior, vel quæ jurisdictionem jure communi innixam, Archidiaconis tribuit quæ Consuetudine possit succrescere, vel quæ solo usu vel concessione ipsos jurisdictione potiri censet, non temerè à Doctoribus fuit dubitatum, cum utriusque sententiæ expressa Jura favere videantur. Qui tamen æquiori lance rem expenderit, poterit advertere, iis quæ jure communi Archidiaconis conceduntur, fori contentiosi jurisdictionem constare non posse. Ipsa enim stato ordine progreditur, suum Tribunal habet, ex quo iudicium prodeat, suas denique coërtiores, quibus iudicatum urgeat.

Potius igitur, & ad mentem Juris propius asseret, ista correctionis & disciplinæ officia Archidiaconos nudo quodam Juris ministerio, non jurisdictionis contentiosæ potestate exequi; cum & ipsa, superius ab Innocentio, Archidiaconis præscripta, quoties majorem indaginem exposcerent, ad Judicem essent amandanda.

Huic sententiæ adstipulatur Archidiaconorum distinctio, quam ex verbis<sup>b</sup> Gregorii IX. facile est eruere. Ipse enim diversum statuit in Archidiaconis qui jurisdictionis curam exercent, quique ex Ecclesiarum consuetudine excommunicare, suspendere & absolvere possunt; & iis quos curæ exercitii expertes, Personatum tantummodo habere pronunciat. Quod utique stare non posset, si jure communi Archidiaconi ex æquo jurisdictionem sortirentur.

Non difficilè fuerit idem firmare ex correctione cap. Decernimus, sub titulo de iudiciis, probata in nova compilatione Gregoriana. Parum enim fuit viris prudentibus, quibus demandata librorum Juris Pontificii correctio, in eo capitulo vocabulum præposterè collocare, modo sensus verbis antiquæ lectionis implicitus, tanquam Juri & communi Doctorum sententiæ adversus, Juris terminis exularet. Nam in textu, *Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati*, Archiepiscopi vocabulum, loco Archidiaconi repositum; ne contra jus, Archidiaconos omnes Prælatos esse, ac jurisdictionis contentiosæ compotes, Jure ipso constaret.

Assertioni huic, & nunc, sic antea in nostro de Visitatione & Synodis libello subscripsimus<sup>c</sup>. Neque enim jurisdictione præditus Archidiaconus, eam oppugnantem Jus Commune poterit objicere, ut in eum onus probandi præscriptionem, vel aliud, jus commune elidens, rejiciat. Sed suum est, retinendæ ac propugnandæ jurisdictioni legitimam Præscriptionem, Consuetudinem, vel Indultum proferre: quibus & jurisdictionem comparare potuisse, & servare partem, frequentis jure Pontificio & concordia Doctorum sententia possit facile comprobare.

<sup>c</sup> In quo Archidiaconorum alii iurisdictione immunes, alii præditi asseruntur. cap. 2. num. 3. 7. 10.



## CAPUT VIII.

*Jurisdictionem Fori exterioris, usu vel Superiorum Indultis Archidiaconos assequi, certissimi juris esse.*

CONVENIT inter Theologos verbis, *Quaecunque alligaveritis super terram, &c.*<sup>a</sup> Christum jurisdictione duplici Pastores Ecclesiae donasse; altera, qua *in foro poli* peccata remitterent, aut retinerent; altera, qua *in foro fori* poenas decernerent vel laxarent: alia-ve, ut Judices palam statuerent.

Prioris, quae arcano conscientiae incumbit, nullus extra Pœnitentiae Sacramentum usus; ideoque ea solus Sacerdos fungitur<sup>b</sup>, cujus est Sacramenta conferre. Posteriori, quae fori exterioris est, nil commune cum Sacramentis: proinde in eum poterit derivari, qui Ordine Sacerdotii minimè auctus fuerit. Quod quia in Vicaria illa seu delegata jurisdictione quotidie cernitur, nullus quantumvis ignarus absque pervicacia poterit inficiari.

Neque qui in Jurisprudentiæ castris exercent tyrocinium ignorant, decreto legis, hominis indulto, vel ipso usu, jurisdictionem aliqui accedere<sup>c</sup>. Et quamvis de privato, an jurisdictionem usu nanciscatur, non sit eadem<sup>d</sup> Doctorum sententia, consentiunt tamen, eum qui aliqua administratione, dignitate, vel honoris gradu, ratione sui Beneficii, in Ecclesia quoquomodo præstiterit, jurisdictionem suo Beneficio, seu Personatui, usu comparare posse<sup>e</sup>.

Nomine verò usus, Consuetudinem & Præscriptionem intelligo: quæ quamvis inter se non minimum distent, illaque jus commune seu plurimorum censeatur: hæc jus privatum seu particulare, proinde odiosa restringendaque: illa amplianda dignaque favore existat, utraque tamen legitimam acquirendæ jurisdictionis modum inducit: dum Consuetudo ratione ac tempore jure definito nititur: Præscriptioque suis affectibus comitata, statum temporis spatium decurrit.

Etenim ipsa Consuetudo nullis licet tabulis inscripta, dum moribus utentium invaluit, nedum vim legis obtinet<sup>f</sup>, sed & legem ipsam humanam, totam vel ex parte corrigere vel abrogare potest; *si rationabilis sit & legitimè præscripta* g.

At ratione fulta censenda ea Consuetudo, quæ absque peccato servari potest. Præscripta verò ut plurimum, quæ quadraginta annorum spatium explevit atque emensa est<sup>h</sup>. Hæc enim & Juri scripto derogat, & jurisdictionem ordinariam non habenti acquirit<sup>i</sup>. Sed tempus Præscriptioni aut Consuetudini statum ei non proderit, qui possessioni quærendæ fuerit ineptus, ut is in quem jura quæ usu ad se pertinere contendit, cadere non possunt: veluti in Laicum jus Decimæ<sup>k</sup>, & in Presbyterum, quæ Ordinis sunt Episcopalis, quæ nulla temporis diuturnitate poterunt assequi: <sup>l</sup> *Cum nemo sana mentis intelligat divino ac naturali juri (cujus transgressio periculum salutis in-*

<sup>a</sup> Erunt ligata & in caelo, & quaecunque sol veritis super terram erunt soluta & in caelo. Matth 18  
<sup>b</sup> C. in novo. 21. dist. & cap. omnis de poenit. & reus.

<sup>c</sup> Panor. in cap. duo sunt de off. ord.  
<sup>d</sup> in cap. cum contingat de foro comp.

<sup>e</sup> Arg. cap. Dilectus de appel. & cap. dilectus de sent. ex com. in 6. & cap. 2. de his qua si. a. ma. per. cap. glo. & doct. in cap. Dudum. 2. de elect. & in cap. cum satis in verbo consuetud. de off. Archid. facit. cap. ad hoc & cap. acced. n. tibus de excess. pral. & cap. irrefragabili. 5. ex. cess. de off. ord. cap. auditis. & cap. olim de præscript.  
<sup>f</sup> C. consuetudo dist. 5.

<sup>g</sup> Cap. fin. de consuetud. & ibi glof. & cap. non est eod. in 6.

<sup>h</sup> Panor. ad cap. fin. de consuetud. nu. 11.

<sup>i</sup> Panor. in cap. quoniam ne pral. vi. su. nu. 4.

<sup>k</sup> Ioan. And. in cap. 2. de prab. in 6. in novel.

<sup>l</sup> Cap. ult. de consuetud.

ducit) quacunque consuetudine, qua dicenda est verius corruptela, posse aliquatenus derogari.

<sup>a</sup> Reg. sine pos.  
f. ff. de reg. iu.  
in 6.

Tanta est siquidem in rebus & personis quibusdam disparitas, ut nunquam convenient, nullusque possit, illibato Jure divino, sociare. <sup>a</sup> Ideoque personæ ejusmodi rerum earum possessione sunt interdictæ, atque præscriptionis incapaces, cum absque possessione præscriptio non procedat.

<sup>b</sup> Cap. 3. &  
ibi glo. de con-  
suetud. in 6.  
facit cap. fin.  
de consuet. in  
antiq.

In Consuetudine titulo minimè opus; nec de bona fide quæritur, nisi in ea quæ extenso vocabulo, pro Præscriptione sumitur; quæque in omnibus ad præscriptionis leges est exigenda. <sup>b</sup> Præscriptionem etenim quæ est contra Jus, titulum saltem coloratum antecedere oportet, eum videlicet qui pleniori indagine elidi potest.

<sup>c</sup> Reg. possess.  
de reg. iu. in 6.  
<sup>d</sup> Panor. cap.  
auditis de præ-  
scr. nu. 10.  
<sup>e</sup> Idem cap.  
cum Ecclesia  
de causa poss.  
& pro. nu. 43.  
44. 47.  
<sup>f</sup> Cap. fin. de  
præscr.  
<sup>g</sup> Panor. in  
cap. gravis de  
rest. spol. nu.  
10.

Fidem denique bonam ad præscriptionem usque completam adesse necesse est, vel ad minimum malam fidem abesse: <sup>c</sup> cum mala fidei possessor nullo tempore præscribat. <sup>d</sup> At præscriptioni perfectæ, mala fidei adventus non oberit, neque interruptio ulla vel contradictio; <sup>e</sup> nec si tempore hominum memoriam superante decurrerit, titulo egebit quo fulciatur.

In ipso verò præscriptionis excursu nullus bonæ fidei probandæ obnoxius. <sup>f</sup> Is enim bona fide possidere judicandus, quem malæ fidei possessorem adversarius non probavit. <sup>g</sup> Successori denique decessoris mala fides non officiet, cum in ejus vitium non succedat.

Quæ omnia de Consuetudine & Præscriptione à nobis exposita eò tendunt, ut jure Archidiaconis quæsitam jurisdictionem nemo dubitet, si ipsis earum altera suffragetur.

<sup>h</sup> Vide Roch.  
Curium tra.  
Fatu de con-  
suet. 3. concl.  
ex 2. parte glo.  
final. cap. cum  
tanto de con-  
suet.

Consuetudine verò niti, non Præscriptione censendi Archidiaconi, si totam Dioccesim non alicujus ipsius angulum eorum jurisdictio pervadat. Si quotquot sunt in Diocesi Archidiaconi, iisdem juribus utantur; si nullus qui subit Episcopo, Ecclesiasticus eorum jurisdictione eximatur. <sup>h</sup> Tunc enim consuetudinem inductam nullus dubitat, cum non alicujus status vel ordinis homines paucos privatim complectitur, sed promiscuè universos publico usu astringit; jusque esse publicum, tam apertis indiciis, Consuetudine inductum, nullus potest diffiteri.

Sed & sola Præscriptio qualis à nobis descripta, Archidiaconos jurisdictione donare potest; cumque usu hominum memoria superiore invaluerit, nulla, ut diximus, neque bonæ fidei, neque tituli, aut notitiæ Superioris defectus objectio, eam poterit ullo modo convellere aut infirmare,

<sup>i</sup> Officium D.  
Ivonis apud  
Minoritas.  
<sup>k</sup> Annales Ba-  
ro. ad an 1164  
ex Epit. Spond.

Quapropter Archidiaconorum jurisdictionem fundamentis ejusmodi innixam, frequentia atque expressa jura comprobant: Doctores suis scriptis communi sensu asserunt: usus tot sæculis locisque probatus confirmat: Rhedonensis Archidiaconi Officialis <sup>i</sup> sanctus Ivo suo exemplo commendat: <sup>k</sup> Alexander III. Papa in causa D. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi summo & publico judicio approbat.

Rejctis enim pluribus Angliæ Consuetudinum articulis, retentis



iste, quo Archidiaconorum jurisdictionio, Britannico illo publico usu, etiam in regis causis rata declaratur: <sup>a</sup> *Si forte aliquis diffortiaverit Domino Regi rectitudinem suam, Archiepiscopi vel Episcopi & Archidiaconi debent eum judicare, ut Domino Regi satisfaciatur.*

<sup>a</sup> Art. 4. parte altera.

Demum <sup>b</sup> Pontificia Decreta, quæ vetant ne quis ab Archidiacono ad Archiepiscopum provocet, sed Episcopum appellationum quæ à Tribunali Archidiaconi emerferint, Judicem statuunt, Jure probatam & receptam Archidiaconorum jurisdictionem ita luculenter ostendunt, ut qui non viderit, insigniter caligare videatur.

<sup>b</sup> Cap. Romana de app. in 6.

<sup>c</sup> Neque est quod privilegio, non consuetudine vel præscriptione partam jurisdictionem, jura firmare, quis ineptè contendat; cum neque id constare possit, neque si esset probatum, tantillum infirmior esse Archidiaconorum possessio; cum id quod privilegio acquiritur, consuetudine ac præscriptione posse comparari, juris sit minimè ambigui.

<sup>c</sup> Cap. cum contingat de for. comp. Bar. in l. 1. ff. de aq. plu. ar.

Quod si à Concilio Tridentino jurisdictioni Archidiaconorum in multis detractum esse objiciat aliquis, velitque, ut saltem eam minutam habeant, non qualem usus induxit antiquior, hoc responsum feret: leges humanas cum Ecclesiasticas tum Civiles antequam usus receptas ostenderit minimè obligare. <sup>d</sup> *Leges quippe instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur.*

<sup>d</sup> in istis §. legis 4. dist.

Neque si vigeret usu Concilii Decretum, jurisdictionem quamlibet Archidiaconorum imminueret, sed eam tantummodo quam non vetustissima consuetudo confirmasset, illibatam eam relinqueret, quæ hominum memoria esset superior.

Id certè Jurisperitus quilibet potuisset asserere, nisi quibusdam audacior quàm verior Decreti istius visa fuisset explicatio. Probatum enim Jurisprudendum calculis, Legem quæ Consuetudini derogat (si nil aliud expresse) memoria superiorem Consuetudinem non comprehendere.

At postquam à sacra Cardinalium Congregatione (quam unam Tridentini Concilii Interpretem voluit summus Pontifex) ejusmodi Decretum explicatum habemus; non est quod dubitemus verum ejus sensum amplecti, quem nullus aversari debet, vel jure potest improbare.

<sup>e</sup> Verba Concilii hæc sunt: *Causa matrimoniales & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquuntur.* In fine verò cap. *Non obstantibus quoad omnia superscripta, privilegiis, indultis, concordis, quæ suos tantum teneant autores, & aliis quibuscumque consuetudinibus.*

<sup>e</sup> sess. 24 cap. 20. de refer.

Sacræ verò Congregationis Declarationes unà cum textu Concilii impressæ <sup>f</sup>, sic habent, nu. 8. ad verba, *Causa matrimoniales: Congregatio censuit, non sustulisse Concilium immemorabilem consuetudinem, & ideo si Archipresbyter (& potiori ratione Archidiaconus) legitimè probaverit se admittendum, hanc jurisdictionem exerceat.* Insuper nu. 8. ad verba, *& criminales: Nisi essent in quasi possessione immemorabili,*

<sup>f</sup> Duaci apud Balsaf. Belle. rum an. 1620.

cui in hoc Concilium non derogavit, si hujusmodi quasi possessio probata fuerit tribus sententiis conformibus & continuis. Et inferius: Quando inferiores Ordinarii volunt procedere in criminalibus, si legitime constet de immemorabili quasi possessione Archipresbyteri in cognoscendis decernendis-que causis criminalibus suorum Clericorum, Decretum hoc non derogavit huic immemorabili quasi possessioni, unde in ea Archipresbyter conservandus est.

<sup>a</sup> Mentem Concilii eam fuisse quam aperit sacra Congregatio vel eo constat, quod pluribus Concilii decretis consuetudo immemorabilis sit expressa quia comprehensa, ut de reform. sess. 21. cap. 3. 8. 9. sess. 22. Cap. 3. & 8. sess. 23. Cap. 18. sess. 24. Cap. 1. 3. 9. 23. 14. sess. 25. De regul. cap. 12. & eadem sess. de reform. cap. 8. 9. & 9. <sup>b</sup> Lib. qui titulus est Remissiones Doctorum qui varia loca Conc. Trid. incidenter tractarunt Cap. 20. nu. 20. in 20. cap. de refor. sess. 24.

<sup>a</sup> Constans & certissimum sacre Congregationis illud fuisse iudicium ostendunt hæc Declarationes, non variæ sed ejusdem sententiæ, etsi variis temporibus editæ. De hac sacre Congregationis explanatione, <sup>b</sup> Augustinus Barbosa ad ista Concilii verba, & aliis quibuscumque consuetudinibus, ita scribit: Sacram Cardinalium Congregationem censuisse, immemorabiles sub hoc decreto non comprehendi, resolvit Gonsal. ad reg. 8. (anc. glo. 33. nu. 5.

Addidero exoptandum ut hæc jurisdictionis ad mentem Concilii moderatio unâ cum cæteris Concilii Decretis servetur: juncta etenim aliorum Decretorum praxi brevi ad meliora rem Ecclesiasticam traduci posse non dubitamus. Moderatione ista sola (quæ tamen Consuetudini memoria superiori nil officit) non videmus.

## CAPUT IX.

*Quæ Archidiaconi consuetudine, prescriptione, vel indulto accrescere possunt: quæ non.*

**C**UM liquidò constet, ex amplissima illa Episcoporum potestate, eam quam sibi vendicant Archidiaconi, quæcumque ea sit, derivari; operæ prætium fuerit, quænam sint Episcoporum Jura dispicere, quæ usu vel alia ratione consequi possint Archidiaconi.

<sup>c</sup> Cap. quod fuerit. S. præterea de elect. facit c. quamvis 18. dist. cap. quanto de consuetud.

<sup>c</sup> Certum in primis ea quæ sunt Ordinis Episcoporum, nullo usu vel eorum concessione; Archidiaconos posse acquirere: atque ita consecrare altaria, dedicare Ecclesias, Chrisma vel oleum benedicere, & cætera id genus, solius esse Episcopi; ea maximè quæ magis propria sunt Ordinis Episcopalis, quæ scilicet in Sacramento Ordinis peragit Episcopus, dum sacris muneribus exequendis, homines potestate sibi divinitus tradita consecrat.

<sup>d</sup> C. pervenit 95. dist. c. Abbatibus. Cap. cum contigat. de atat. & qual. <sup>e</sup> Cap. de sup. negl. præl. <sup>f</sup> Cap. aqua de consecr. Eccl. vel alt. <sup>g</sup> Panor. in Cap. litteras de test. spo. n. 8.

<sup>d</sup> Nam & ea quæ extra Sacramentum conficit ad Ordinem spectantia, nullus eo inferior exercet, ni expresso Jure, vel summi Pontificis autoritate fuerit indultum; <sup>e</sup> vel si quid in his obtinet Consuetudo, ea sola est quæ probante Summo Pontifice invaluit. <sup>f</sup> Est enim Jure definitum, præter Episcopum, ne quidem ipsius mandato, quæ Ordinis sunt exequi posse neminem.

<sup>g</sup> At in his quæ extra Ordinem, autoritatis Episcopalis esse constat, aliter omnino sentiendum; ea enim posse delegatione in alium transferri, usu insuper aut privilegio traduci certissimum: etsi rerum & personarum



personarum varietas in firmando usu his acquirendis necessario jus ipsum varium ac multiplex efficiat.

Porro ea omnia quæ sunt juris & autoritatis Episcoporum, legi alterutri <sup>a</sup> *Diœcesana* vel *Jurisdictionis* subesse docent Juris Interpretes. Earumque legum officia, promiscuè recenset <sup>b</sup> Honorius III. Decretali ad Episcopum Assisinatium, dum illum in subjectos habere decernit *canonicam obedientiam, subjectionem & reverentiam, institutionem & destitutionem, correctionem & reformationem, ac Censuram Ecclesiasticam, jurisdictionem quoque causarum omnium ad Forum Ecclesiasticum de jure spectantium, pœnitentias, & sacrorum omnium quæ ab Episcopo sunt recipienda collationem, Synodum & Synodatici seu Cathedralici nomine duos solidos, quartam decimationum & mortuorum, visitationem quoque annuam, &c. moderatum auxilium, etsi manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate postulandum.*

<sup>a</sup> Ad Cap. conquerrante de off. ord.  
<sup>b</sup> Ibid.

Jam illa quæ non fuerint Ordinis posse Archidiaconos ceterosque Prælatos inferiores usu vel concessione præstare, Jure ac Doctorum sententia confirmandum. Quod ut faciam, hîc velim adducta ea quibus superiori capite in genere probatum extitit, Consuetudine, Præscriptione aut Privilegio jurisdictionem Archidiaconos nancisci posse. Neque Jura vel Doctores ipsam aliis cancellis definitam proponunt, quam iis quos usus pro rerum arduitate varius, aut jure rata concessio statuerit: ne quis in Episcoporum jurisdictione limitem sternat, quem usu vel privilegio fulti, prætergredi Archidiaconi non possint.

<sup>c</sup> Doctores siquidem concordēs asserunt, quæ sunt Episcopalis Dignitatis aut Potestatis, seu *legis Diœcesanae*, ea sint seu *Jurisdictionis*, Prælatos inferiores præscribere. <sup>d</sup> Et ut ea quæ in duplici ista lege præcipua sunt, ad ea quæ Jure sunt decisa, sigillatim expendamus, *cap. 1. & 7. de Officio Archidiaconi* validè probant, Parochos ceterosque Archidiaconis obnoxios, obedientiam, subjectionem & reverentiam ipsis debitam non posse denegare; <sup>e</sup> neque correctionem & reformationem ab ipsis jurisdictione præditis pro modulo inductam, impunè aspernari, cum nulla sit jurisdictio quæ coërtionem non habeat.

<sup>c</sup> Cap. olim & Cap. auditis. de presc. modo titulus saltem coloratus ad sit, vel tempus superans memoriam. cap. 12. de presc. in 6. Panor. in Cap. cum contingat de fo. comp. nu. 12. Ioan. And. & Ar. ebid. in cap. cum Episc. de off. ord. in 6. <sup>d</sup> Cap. ad has de excess. Pralat. <sup>e</sup> l. fin. ff. de off. eius cui mand. est iur. <sup>f</sup> Cap. referente de prob.

<sup>f</sup> Institutionem in beneficiis & destitutionem penes Archidiaconos esse, si usus probaverit, habes ex Decretali Alexandri tertii, in qua alteri ablatum, alteri collatum ab Archidiacono Beneficium non improbat Pontifex. Neque enim ea institutio vel destitutio Ordinis Sacerdotalis est, sed Curæ juridicæ, qua tanta si polleat Archidiaconus, materiam poterit Presbytero subicere, aut detrahere: populum videlicet, in quem ordinis potestatem exerceat, vel in quem nulum Ordinis usum habeat.

<sup>g</sup> Censuram Ecclesiasticam, Excommunicationem, Suspensionem atque Interdictum, trifidum illum Ecclesiæ gladium, usu suffragante distringere posse, approbat <sup>h</sup> Gregorius nonus, qui Ambianensem Archidiaconum, altero Beneficio cura onerato interdicit, quod de Consuetudine excommunicare, suspendere, interdicare, atque

<sup>g</sup> Cap. quod di de vero sign. <sup>h</sup> cap. dudum 2. de elect.

absolvere posset, atque ita beneficio Curæ fori exterioris, (quam Jurisdictionalem vocant) esset addictus. Idem & Archidiaconum posse Officiale creare, qui usum gladii spiritualis habeat, aperte ostendit in causa Clerici<sup>a</sup> Odoardi, quem Rhemensis Archidiaconi Officialis excommunicaverat. Eiusdem gladii usum in Archidiacono agnoscit suprâ laudatus<sup>b</sup> Alexander III. neque enim Presbyterum excommunicatione ab Archidiacono præcepisset absolvi, nisi ligatum judicasset. Ex plurimis ejusmodi Juris Pontificii sanctionibus concludunt<sup>c</sup> Doctores, mixti ac meri imperii actus, quales<sup>d</sup> Censuræ Ecclesiasticæ, usu Prælati inferioribus accedere posse.

Jurisdictionem causarum omnium ad forum Ecclesiasticum de jure spectantium, quantumvis arduæ illæ sint, poterit usus vel privilegium Archidiaconi concedere. Inter arduas censendæ causæ matrimoniorum, quarum disquisitionem dignitatis esse Episcoporum<sup>e</sup> Jus Canonicum exprimit. Rata nihilominus eodem Jure est, causarum ejusmodi apud<sup>f</sup> Archidiaconos & cæterosque Prælatos inferiores disceptatio; quibus ut id possint, adstipulatur usus, vel Superioris Indultum.

Jurisdictione in monasteriis non exemptis, Jure communi, à solo Episcopo veluti à proprio Hierarcha exercetur.<sup>h</sup> Hujus est enim Monachis supremam Christianæ pietatis manum admoveere, cæterosque Evangelicæ perfectionis cultores ad summum, quem conscendere possint, gradum erigere.<sup>i</sup> At in contentiosis, quæ claustrali disciplina corrigi non possunt vel dirimi, ut quæ plurimum à perfectione distent, jurisdictionem exercet Archidiaconus, si Usus prævaluerit. Nam in ea controversia quæ inter Senonensem Archidiaconum & Cœnobitas sancti Petri Senonensis emerferat, hos censuit<sup>k</sup> Honorius III. Archidiaconi jurisdictione minimè eximendos, si modò Usu eidem fuisse obnoxios constaret.

In causa etiam in qua Archidiaconus jurisdictionem suam in Cœnobarum Ecclesia, postquam in Cathedralem erecta fuerat, exercere conabatur: non dubitatum à<sup>l</sup> Gregorio nono, id ante creationem usu vel privilegio potuisse Archidiaconum, cum ipsius jura, si quomodo ex ipsa mutatione læsa constitisset, sarcinda decernat.

At jurisdictioni in Cœnobarum securius instabit Archidiaconus, eamque propugnabit feliciter, si territorium, fines scilicet & limites jurisdictioni exercendæ certos habuerit. Absit, lector, territorii verbo invidia; neque enim cordi est, cum sæcularibus Magistratibus, super territorio quod Ecclesiasticis nostratibus negant litem instituerent.<sup>m</sup> Per utrosque licebit loca jurisdictionis exercitio, Ecclesiasticorum alicui stata, terminisque distincta, territorii nomine, in ipsa jurisdictionis inter Ecclesiasticos disceptatione exprimere.

Non dubium jure communi solum Episcopum territorium habere, iisdem finibus quibus ipsa Diœcesis decurrens: sed æquè certum, Archidiaconum posse usu, territorii jus illud assequi, quo in certa Diœcesis parte, qua sui Archidiaconatus ambitus excurrit, quascumque causas suæ jurisdictionis audire ac decidere possit,

<sup>a</sup> Cap. Odoardi. de solut.

<sup>b</sup> Cap. referente de prob.

<sup>c</sup> Ioan. Andr. & Archid. in cap. cum Episc. de off. ord. lib. 6.

<sup>d</sup> Innocent. in cap. transmissa de elect. aliquando mixti imperii cap. venerabilibus de sent. excom. in 6.

<sup>e</sup> Cap. a cedentibus de excess. Prælat. cap. de consang. & aff.

<sup>f</sup> Cap. literas & ibi glo. de rest. spol.

<sup>g</sup> Cap. auditis de præscrip.

<sup>h</sup> D. Dionys. Eccles. Hierar. cap. 7. & 8.

<sup>i</sup> Cap. fin. de off. Archid. & cap. cum inferior de maior. & obe.

<sup>k</sup> d. cap. fin. de off. Archid.

<sup>l</sup> d. cap. cum inferior.

<sup>m</sup> Districum vacans Diaconi.

<sup>n</sup> C. omnes Diœcesis. 16.

cap. 1. de off. ord. cap. cum Episcopus eodem in 6. glo. in cap. cum ab Eccles. de off. ord.



& solus ipse possit : Quodque Archidiaconus jurisdictionem cum territorio usu cœperit, intra hujus terminos Episcopus neque tribunal statuere, neque Officiale instituire valeat.

At quoniam inde deduceretur, dari posse Diœcesim, quæ veluti monstrum plura capita gestaret; in qua Episcopus jurisdictione caret, ut quæ esset apud Archidiaconos: nodum hunc ita dissolvit Juris Pontificii <sup>b</sup> Doctor antesignanus. Si, inquit, *Inferior vult querere territorium, ut separatim ab Episcopo, ita ut faciat caput in eadem Civitate seu Diœcesi, non est possibile: si autem vult querere quasi sub Episcopo, ut Episcopus habeat universalem jurisdictionem saltem habitu, & iste Prælati inferior habeat quasi sub eo: licet exercitio excludatur Episcopus: & hoc est possibile, sicut contingit in exemptis. Et si diceres quæ effectum operabitur iste habitus jurisdictionis, qui reservatur Episcopo, dico quod multum. Primò quod unum caput cognoscetur, principaliter in eadem Diœcesi. Secundò puto quod ratione hujusmodi jurisdictionis universalis poterit Episcopus jurisdictionem exercere, datâ negligentia inferioris Prælati. Ad hoc adduco textum optimum in cap. Irrefragabili §. excessus, de off. ord. Facit cap. ceterum, de jud. Item vacante vel mortuo illo Prælato inferiori, Episcopus exercebit, arg. cap. licet, sup. eodem, & in præallegato §. excessus. Item poterit ab isto inferiori appellari ad ipsum Episcopum, arg. cap. Romana §. 1. de appel. in vi. faciunt ad prædicta notata per Innocentium in cap. cum satis, de Officio Archidiaconi.*

Quæ omnia paradoxa iis videbuntur, qui, quid in abrogandis juri-  
bus possit Consuetudo, & rationum momenta, quibus Consuetudi-  
ni tantum fuerit permissum, non satis expenderit, de quibus pauca  
inferiùs subjungemus.

Hoc tantum pro mantissa præmissis de jurisdictione attexam: be-  
nigniore Jurique magis consonam Consuetudinem eam esse, quæ  
Prælati inferioribus ita concedit territorium, ut extra illud in ip-  
sius personas Episcopus sua jurisdictione liberè utatur, easque suo tri-  
bunali, ni inferiores Prælati occupaverint, adesse cogat. Quæ vi-  
cissim his Prælati, intra territorii fines, quoties non anteverterit  
Episcopus, quæ suæ jurisdictionis sunt exequi permittit.

Siquidem Episcopo, cum hac Consuetudine, sua constat jurisdic-  
tio, qua, præventionem ante inferiores Prælatos, in personas locorum,  
licet non in ipsis locis, utitur; quaque ab inferioribus judicata, pro-  
vocatione ad suum tribunal superiùs delata, confirmat vel infir-  
mat.

<sup>c</sup> In communionem jurisdictionis ejusmodi (quam accumulativè  
ad Episcopalem vocant) consultò videntur asciti Prælati inferiores,  
ut Superiori essent subsidio, ipsoque probante, vel minimè dissen-  
tiente: quod ni contrarium constiterit, ita omnino præsumendum,  
ne Inferiores jus Superioris injustè temerasse, hunc Ecclesiæ suæ jura  
nedum neglexisse, sed abjurasse asseramus. Nam eo reclamante nulla  
quantumvis annosa possessio contra Jus scriptum potuisset invale-  
scere.

<sup>d</sup> Pœnitentias publicas injungere, & indulgentias Prælatos infe-

<sup>a</sup> Joan. And. &  
Archid. in  
cap. cum Epi-  
scopus de off.  
ord. in 6. Pa-  
nor. in cap.  
cum contingat  
de fo. comp.  
Domini de ro-  
ta decisione  
309. facit. cap.  
auditis, &  
cap. cum olim  
de præsc. cap.  
dilectus de off.  
ord. cap. acce-  
dentib. de ex-  
cess. prælat. c.  
quicumque 16.  
9. 3.  
<sup>b</sup> Panor. in cap.  
cum contingat  
nu. 19. qui  
citat alios.

<sup>c</sup> Innocent. in  
cap. cum ab  
Ecclesiarum.  
de off. ord. &  
cap. dil. fo. de  
excess. Prælat. c.  
ac persona 21.  
9. l.

<sup>d</sup> Cap. acce-  
dentibus. de  
excess. prælat.

riores speciali concessione posse impertiri, non negat Innocentius III. etsi ista Episcopalis esse Dignitatis nemo nesciat.

Synodum convocandi, Archidiaconis ac cæteris, quos in partem Episcopalis sollicitudinis, ac jurisdictionis societatem, certa ratio jure probata adjungit, jus est, si usus legitimi temporis firmaverit. Cura utique & studium inferiorum Prælatorum in subditos; horum in Superiores observantia ac submissionis protestatio, etsi aliæ non suppetent rationes, cogendæ ab Archidiaconis Synodi legitimam consuetudinem probarent.

Sed quia ad explenda quæ præcedente visitatione præcepta, ad notoria errata corrigenda, ad querelas subditorum audiendas atque sopiendas, denique ad Synodali Episcopali Statutorum praxim promovendam, nulla planior via magisque compendiaria visa est, quàm quæ Cleri, Synodo obnoxii Conventu, pro veteri Ecclesiæ more sterni poterat: convocandæ Synodi non fuit difficile inferioribus Prælati jurisdictione præditis, consuetudinem inducere: ex qua tot in bonum publicum & privatum commoda emergerent.

<sup>a</sup> Cap. 19. & 21.  
de his Groppe-  
rus in isagoge  
disciplina re-  
lig. cath.

Eam pluribus in locis vigere notius est, quàm quod ullo ad fidem testimonio sit opus. <sup>a</sup> Et in tota Coloniensi Provincia, Archidiaconis & Archipresbyteris jus esse sacra ista Comitia habendi, patet ex Coloniensi Provinciali Concilio.

Synodatici seu Cathedratici, aut alio nomine præstationem numariam suis Archidiaconis pendunt; etiamnum quibusdam in locis Parochi, dum Synodum adeunt. In aliis desuetudine jus pensionis istius exigendæ extinctum.

Cætera que de jure Episcoporum subjungit Honorius, ut minus ardua, inter Archidiaconorum jura posse censer, pluribus non probamus: postquam graviora, jure probante ipsis quæsitæ, superius ostendimus; cumque levioribus his juribus uti jam desierint plures Episcopi, minus dubitandum ipsa Prælati inferioribus longo usu potuisse accrescere, quæ Superioribus temporis lapsu decreverint.

De Visitatione, de qua sub finem Honorius, nulla potest esse controversia, cum Jus, ratio & usus Episcopis & Archidiaconis indictam comprobent.

## CAPUT X.

*Quis sit Archidiaconis jurium Episcopaliū usus legitimus, quâ ratione inducatur, quâ culpâ deseratur.*

**N**ON omnia jurisdictionis Episcopalis munia eodem modo sibi acquirunt Archidiaconi; sed ut graviora sunt magisque ardua, possessionis tempus extensius, aliave juris vel hominis adminicula adesse oportet.

Si præscriptione nitantur, videndum an juri communi consentiat,



an adverteretur. <sup>a</sup> Nam ea cui non repugnat jus commune, robor obtinet, si possessioni 40. annorum adfuerit bona fides, etsi defuerit Titulus. <sup>b</sup> Ea verò quæ jus commune adversum habet, viget tum demum, cùm quadraginta annorum spatium cum bona fide & justo Titulo fuerit emensa. <sup>c</sup> Nam unà hæc debent concurrere in Præscriptione Ecclesiastica quæ est contra Jus, ut ipsum possit infirmare: quamvis asserenti se bona fide possedisse, onus probandi non incumbat, <sup>d</sup> neque mala Prædecessoris fides obsit, cùm in ejus vitium non succedat, uti antea diximus.

At in maximè arduis, quæ olim Episcopi absque Capitulo non poterant explicare; <sup>e</sup> privilegium Papæ necessarium, vel ut præscriptio cum dicta 40. annorum possessione & bona fide, Episcopi concessionem, Sententiam arbitri seu Judicis, vel denique conventionem aliquam adjunctam habeat.

Nisi ista ardua exequendi causam Archidiaconis dederit consuetudo tanti temporis, ut illius initii memoria non existat. <sup>f</sup> Ea etenim & Privilegium inducit, & vim habet concessionis, ideoque titulum non postulat, satis, si subsit possidendi capacitas, quam dignitas Archidiaconatus abundè suppeditat.

<sup>h</sup> Sic planè Jure Cæsareo transacta finitave intelliguntur, non solum de quibus controversia fuit, sed etiam quæ sine controversia sunt possessa, ut sunt Judicio terminata, transactione composita, longioris temporis silentio finita.

Jam in ipso jurisdictionis usu dispiciendum utrum vel Episcopus excludat Archidiaconum, vel Archidiaconus possit Episcopum excludere; vel eam cum Episcopo Archidiaconus exercere jure possit. Utique poterit Episcopus se præstare in servandis suis juribus adeo vigilem & solertem, ut non modò ea exercent, sed & subditos inferiori Prælato obedientes multatâ afficiat, vel ipsum inferiorem lite mota cohibere nitatur. <sup>i</sup> Quo pacto nil inferior è Jure Episcopi, præscriptione poterit delibare; cùm nullus jus suum deseruisse Episcopum possit suspicari, cujus possessioni adeo studiosè incubuerit. <sup>k</sup> Nam in iis quæ corpore carent præscribendis, ea quæ dicitur quasi possessio, adversarii patientia sola subsistit; quo renitente, præscriptio non potest invalescere.

E diversò, in conservanda jurisdictione Episcopus se habere potest adedò negligenter, ut neque eam ipse exercent, neque exercenti obstitat, eosque qui Inferiori se submitunt coërceat: <sup>l</sup> qua certè negligentia, excluso Episcopo, in Inferiorem transferetur jurisdictio: quam deseruisse & veluti à se abdicasse videtur Episcopus. <sup>m</sup> Ita ut Inferiorem qui præscripsit, non possit Episcopus prævenire, sed post appellationem de causa cognoscere; quæ etiam appellatio, stante consuetudine, potest omissa Episcopo, ad Metropolitanum deferri. <sup>n</sup> Et nihilominus quoties Inferior fuerit negligens in exercenda jurisdictione, supplere Episcopus poterit.

Media quadam via, jurium Episcopi usus procedit, cùm & ea exercent Episcopus, & inferiores Prælati eo non repugnante idem factitant:

<sup>a</sup> cap. illud. & cap. de quarta de præsc.

<sup>b</sup> cap. de præscript. in 6.

<sup>c</sup> Panor. cap. fin. de præsc. nu. 34. cap.

gravis de rest. spol. nu. 10.

<sup>d</sup> cap. cum Eccl. clesia Sutrina de caus. poss.

& prop. & ibi Panor. nu.

43. 44. & 47.

<sup>e</sup> cap. accedentibus de excess. Pralat. cap.

cura de iure patr. cap. com.

sentientes de rel. do. cap.

cum olim de præsc.

<sup>f</sup> Ioan. And. in cap. 1. de præ.

band. in 6. in Novel.

<sup>g</sup> Cap. super quibusdam de verb. signif. & ibi glos. an

verbo extat.

<sup>h</sup> l. Transacta & seq. de verb. signif.

<sup>i</sup> Panor. in cap. illud. de præsc. & in cap. auditis eodem.

<sup>k</sup> l. quoties ff. de servit. cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. poss. & propr.

<sup>l</sup> Innocent. in Cap. cum olim & Panor. in Cap. auditis de præsc. arg. l. & si forte §. 1. ff. si serm. ven.

<sup>m</sup> Cap. Romana §. ab Archid. de appell. in 6.

<sup>n</sup> Cap. irrefragabili & ibi Panor. de off. ord.

<sup>a</sup> Regulariter datur inferiori accumulativè non privativè ad Episcopum. Innocent. in

Cap. cum ab Ecclesiarum de off. ord. & in cap. dilecto de excess. pra. C. de persona II. q. I.

<sup>b</sup> Cap. Romana de so. comp.

<sup>c</sup> Cap. cum olim de praes.

Cap. cum contingat de decim. Innocent. in Cap. cum dilectus

d. Cap. Mon.

Cap. odia. de reg. iur. in 6.

d. Ioan. And. & Speculator de consuet. l. nemo S. tempo-

ralis. ff. de reg. iur.

<sup>e</sup> Cap. I. de reg. iur.

<sup>f</sup> Cap. ad hac. de off. Archid.

nam tunc <sup>a</sup> *insolidum* sive *accumulativè* ( ut dicunt ) ad Episcopum , <sup>b</sup> poterunt Inferiores jura Episcoporum certo jure præscribere , ita ut locus sit præventioni , faciatque Inferioris præventio jurisdictionis gradum , à quo ad Episcopum appellatio devolvatur.

<sup>c</sup> Quòd si Episcopus in cursu præscriptionis , eâ nondum completâ , possessionem Inferioris in aliquo articulo interruperit ; in cæteris quæ non impugnaverit , illæsa decurret ; neque ut præscriptio vi-geat , necesse erit ipsam jurisdictionis omnia capita complecti , cum vel unum tantum , vel duo possit attingere , in quibus completa , ad consimiles articulos neutiquam erit porrigenda , cum restringenda ipsa sit , tantumque præscriptum judicandum , quantum possessum . Non ita de consuetudine sentiendum , quæ in commodum publicum non privatum inducta , extensionis capax est , & multiplicis favoris , ut supra monuimus ; ideoque acceptior jurisdictio huic in-nixa .

<sup>d</sup> Porrò certum habe præscriptioni vel consuetudini completæ nil actibus subsequenter detrahi ; <sup>e</sup> sed sola contraria consue-tudine vel præscriptione usum tam altis defixum radicibus posse convelli .

<sup>f</sup> At verò non est quòd curiosius rationes quæramus , quibus Archidiaconorum jurisdictio excreverit , cum prona & facilis fuerit ad eos jurisdictionis extensio , inter quos onus partitur Episcopus , cuique levando jure sunt obnoxii Archidiaconi ; eaque censenda in commo-dum publicum inducta , maximè ubi Diæceses adeò extensæ , ut ope-ram suam in singulos Diæcesanos Episcopus partiri non possit .

Fortasse fortissimus Imperator hostibus sternendis , Architectonici-cus faber ædificio erigendo , oculatissimus Pastor procurando gregi par erit solus : solus stertentes hortari , dirimere lites , dissidia com-ponere , labentem disciplinam erigere , subolfacere crimina , perse-qui , ulcisci Episcopus poterit . *Unus* , ait Salomon , *quomodo calefiet ?* Sed ut totus sit ignitus , num poterit solus intensissimi frigoris latè sparsum rigorem emollire ? Certè id præstabunt plures commodius & utiliùs . At poterat Pastor ministros sibi asciscere industrios , inter quos pensum divideret . Ascitos censebit , quos adjunxit Ec-clesia , ad nutum minimè mobiles , qui cogi facilè ad officium pos-sent , non amoveri ; ne si ex uno penderent omnia , eo cessante , disci-plina nutaret . Divisit Ecclesia pensum ; ipsa probante , usus adauxit , ut è juris vel consuetudinis præscripto , non ex arbitrio unius omnia præstarentur , ita ut in hac jurisdictionis disceptatione Ecclesia illud solum visa sit innuere : *Salus populi suprema lex esto* .

Jurisdictionis Archidiaconorum extensioni etiam favet Episcopo-rum circa graviora studium indefessum : neque enim verisimile , Epi-scopos magnis addictos , minimis voluisse occupari ; sed verbo Dei & sacrorum administrationi intentos , leviora ista jurisdictionis exte-rioris negotia inferioribus Hierarchis veluti ministris & vicariam operam præbentibus reliquisse . Nam Episcopi gregarios homines ad Fidelium contentiones judicio dirimendas , Apostoli præcepto

Eccl. 4.

Cic. lib. 3. de leg.



olim constitutos noverant. \* *Sacralia*, inquit, *judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.*

Sed ut nulla subsit caussa, qua a vitus ille jurisdictionis vigeat usus, certè ipsa consuetudo (quam Juri vel rationi adversam nullus unquam comperiet) satis in se habebit præsidii, satis virium, quibus usui, ex quo ornata est & invaluit, durationem ac perpetuitatem rependat.

Viget enim & vivit consuetudo altrice matre Ecclesia, quæ, docente D. Augustino, per orbem terrarum diffusa, tribus modis probatur existere. Quidquid enim in ea tenetur, aut autoritas est Scripturarum, aut traditio universalis, aut certè propria & particularis institutio; sed autoritate sola constringitur, universali traditione nihilominus tota, privatis verò constitutionibus & propriis informationibus, unaquaque pro locorum varietate, prout cuique visum, subsistit & regitur.

Consonat Beatus Fulbertus spectatissimus ille Episcopus Carnotensis. Nos, inquit, minimè offendit observantia diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. In multis Græcia ab Hispania, ab illis Romana & Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc scandalizamus, si audimus diversam observantiam, sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis existisse. Stat enim Regina à dextris Regis sui, in vestitu deaurato, circumdata varietate: distincta scilicet ordinum, rituum, atque consuetudinum, cum generalium tum particularium multitudine, quas certè non rejicit, si vetustas, si ratio admiserit, vel saltem non fuerit averfata.

<sup>b</sup> Has denique in Gallia, sicubi unquam, acceptissimas fuisse, Pontificem Innocentium III. non latuit, & eo nomine nostrum in his propugnandis studium gratus atque acceptius Nostratibus fore confidimus.

Consuetudinis beneficio usi sunt reverendissimi Episcopi, ut jurisdictionem suam societate sacri Sodalitii Ecclesiæ Cathedralis exemptam assererent. Juris enim studiosis non dubium, reverendissimos Episcopos in Ecclesiæ rebus administrandis, tractandis negotiis, litibus sopiendis, puniendis criminibus, sententiis ferendis, instituentibus vel destituendis Personis Ecclesiasticis, Presbyterii, seu sacri sui Senatus aliquando consilium, aliquando consensum prætermittere non potuisse: infectum enim quicquid inconsultis vel dissentientibus Canonicis peregissent.

<sup>d</sup> Nunc alius rerum status: praxis enim est, ut quantumvis ardua inconsulto Capitulo explicent atque definiant. <sup>e</sup> Quod verò ritè possint, effecit canonica consuetudo, quæ & Jus scriptum infirmare, & novum usum Jure ratum inducere potuit. Quare si quid juri suo consuetudine sit detractum, probare non revent reverendissimi Episcopi, qui quod consuetudine additum est, nollent improbare.

Ad superiora illud observatu dignissimum adjiciam, eum scilicet qui consuetudine vel præscriptione legitima, jura aliqua seu hono-

<sup>b</sup> Consuetudo approbata pro lege servatur in partibus Gallicanis. Cap. dilecti de arb.

<sup>c</sup> Tit. de his qua fiunt à Pral. sine consensu Capituli. <sup>d</sup> Id est consensio presbyt. in Ecclesia 16. q. 1. <sup>e</sup> Cap. 3. de consuet. in 6.

*Arg. cap. si  
diligenti. de fo.  
comp. l. ius pu-  
blicum ff. de  
pactis.*

raria illa sint, <sup>a</sup> seu utilia suæ Dignitati vel Beneficio quæsitivæ, si ipsa ejuraverit; vel liti super his motæ cesserit, immani se scelere obstringere; vel cum ea cessio in damnum alienum redundat, vel cum res de qua agitur, ex arbitrio cedentis minimè pendet, sed Superioris alicujus assensum postulat. Prius assertum notius est quàm quoddam probatione egeat. Posterius ex eo probatur, quod Prælati, ad instar tutoris, conditionem sui Beneficii meliorem facere possit; deteriori facere non possit: in his præsertim quæ non sunt sui arbitrii, quæque solus distrahere seu alienare non valet. Ipsi enim jurium ejusmodi tacita ut expressa alienatio interdicta est.

*In Cap. cum  
pridem. de pa-  
ctis nu. 4.*

Et ne ex meo sensu, non ex Doctorum sententia, hæc proferre videar, ipsa Panormitani verba subjiciam. *Prælati litigans super juribus Ecclesie, non potest liti & causæ cedere, si causæ est talis, in qua non habeat liberam dispositionem, ut quia agitur de re quæsita Ecclesie; sicut nec directè posset rem in judicio deductam alienare, secus si ageretur de re in qua Prælati liberam haberet dispositionem.*

## CAPUT XI.

### *Reliquorum quæ sunt Archidiaconi Miscellanea.*

*b d. Cap. 12. de  
at. & qual.  
ord. in 6.*

**P**AUCIS multa hoc capite perstringimus, quæ in hujusce argumenti tractatione nolumus desiderari. <sup>b</sup> Hoc primum jure communi neminem ante ætatis 24. annum emensum, Archidiaconum esse posse: quamvis si nulla Cura animarum immineat, Episcopus possit cum eo dispensare qui 20. annum compleverit: sed non ubi viget usuque receptum Synodi Trid. <sup>c</sup> Decretum, quo non minores 22. annis ad Dignitates & Personatus, quibus animarum cura nulla subest, asciscuntur. <sup>d</sup> Curæ astrictum Archidiaconum 24. annum explevisse, seu 25. attigisse veteri novoque <sup>e</sup> Jure oportet.

*e Cap. 12. de  
refer. sess. 24.*

*d Cap. cum  
in cunct. §. in-  
feriora de elect.*

*e Concil. Trid.  
eod.*

*f d. Cap. cum  
in cunctis §.  
inferiora de  
elect.*

*g Clem. ut ij.  
de at. &  
qual in Clem.  
quam innovat  
Concil. Trid.*

*sess. 22. cap.  
4. de ref. m.  
h Decl. in 6.*

*i Sess. 24. c. 12.*

*k In declarat.  
cum Concilii  
textu impres-  
sis, ad eius  
cap. 12. sess.  
24.*

<sup>f</sup> Ordo Diaconatus in Archidiacono requiritur, ad quem nisi intra annum, justo impedimento cessante, fuerit promotus, monitus dignitatis gradu pellendus est. <sup>g</sup> Interim si præbenda potiatur, suffragio seu voce in Capitulo, mediaque distributionum parte privandus. Non tamen latæ sententiæ pœnam, <sup>h</sup> *cap. licet Canon*, incurrit, qui intra annum non fuerit promotus, cum in eo de Parochiali agatur, qua non includitur Archidiaconatus, etsi curæ exterioris fori exercitium haberet adjunctum.

Scientia in Archidiacono ea requiritur, quæ sufficiat ad obeundum suum munus. Celeberrimi Doctores, Pontificii Juris scientiâ excultum volunt. Quorum sententiam probans <sup>i</sup> Concilii Tridentini Decretum, statuit ut Archidiaconi in omnibus Ecclesiis, quoad fieri posset, Magistri essent in Theologia, seu Doctores aut Licentiati in Jure Canonico. Quod de Archidiaconis quibus jurisdictionis exercendæ cura incumberet, intellexit Sacra Congregatio. <sup>k</sup> Qui enim verè cura animarum & omni prorsus jurisdictione carerent, hoc De-  
creto



creto quantum ad Minervales istos gradus minimè includi declaravit.

Archidiaconus etsi à Cura immunis, aliud Beneficium simile, seu aliam Dignitatem vel Personatum in eadem Ecclesia consequi non potest: dissimile poterit, modò sit Canonicatus, & consuetudo non repugnet; non verò aliud simplex. <sup>a</sup> Nullibi verò absque dispensatione aliud Beneficium quod curam habeat animarum, seu Dignitas, seu Personatus vel Officium illud sit, seu residentiam requirat, quamvis de <sup>b</sup> Parochiali Ecclesia, ubi non recepta Extravagans execrabilis, nonnulli Jure non esse cautum incautè asserant.

<sup>a</sup> cap. dudum  
2. de elect. cap.  
de multa de  
pral. ubi Do-  
ctores glo. in  
cap. gratia. de  
resor. in 6.  
<sup>b</sup> de prab. &  
dig. in extrav.  
com.

Residentia obnoxius Archidiaconus; ille maximè, qui jurisdictione potitur. Ecclesiis enim quarum ipsi tradita cura, jure naturæ adesse adstringitur, non secus quàm Naucerus navi, exercitui Dux, Præses provinciae quam regendam accepit. Residet, si adsit Cathedrali Ecclesiae, vel maneat in Archidiaconatu, quantum salvo honore Cathedralis Ecclesiae potest, vel quandiu res exigit Ecclesiastica. Cui si procuranda absque fraude institerit, etsi absens, præbendæ fructus lucrabitur, neque ipsa diaria seu distributiones quas præsentibus choro percipiunt, amittet. Sic enim è mente Juris declaravit sacra Cardinalium Congregatio.

<sup>c</sup> Archidiaconus non residens, Parochis & aliis fori interioris curam gerentibus minimèque residentibus, pœnam à Concilio indictam non incurrit; tum quòd ipsa munia à Concilio expressa, quibus residentes vult insistere, eorum sunt maximè, quibus est jurisdictio interior, neque ex his nonnulla, etsi vellet, posset explere Archidiaconus: <sup>d</sup> tum quòd Concilio alia pœna statuta in eos qui fori interioris, alia in eos qui exterioris curam exercent. Certum tamen Archidiaconos Constitutione Pii IV. super residentia Pastorum edita comprehendit.

<sup>c</sup> ff. 23. cap. 1.

<sup>d</sup> ff. 23. cap. 1.  
1. ff. 24.  
cap. 12.

<sup>e</sup> Visitationi Ecclesiarum quotannis, imò quoties opus fuerit, non exca speculatione, sed emissis oculis, Archidiacono incumbendum: idque (si satis Juris mentem fuerit assequutus) antequam visitet Episcopus, cujus est supremam manum incæptis apponere.

<sup>e</sup> cap. manda-  
mus. de off. Ar-  
chid.

Concil. Trid.

Parochi sumptu, quantum fieri poterit, exonerandi. Procuraciones (visitatione non impensa) ne Suspendio ipso facto contrahatur, minimè recipiendæ.

Si jurisdictionis fuerit compos Archidiaconus, in notorios peccatores animadvertet, inquireret in delatos, vel infamiâ aspersos; quæ de plano poterit, diffiniat: quæ longioris erunt indaginis, ad judicem amandabit.

Si jurisdictionis expers, inquireret saltem, & ad Superiorem quæ deprehenderit, deferet. Ea quæ scandalum, peccati statum, vel periculum peccandi implicare agnoverit, absque operæ concessione urgebit, & in meliorem statum Superioris suæque operæ restituet.

<sup>f</sup> Fortè poterit  
esse usui libal-  
lus de visita-  
tione à nobis  
conscriptus.

<sup>f</sup> Peritiam eorum quæ in visitatione præstanda sunt, lectione & peritorum usu assequetur.

acap. procura-  
tion. s. de cen-  
sibus.

Visitationis denique officium exercens, <sup>a</sup> non quæret quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi: prædicationi, cohortationi, correctioni, reformationi quantum poterit vacando, ut fructum referat qui non perit.

## CAPUT XII.

*Ad Archidiaconos, ut sedulo muneri suscep'o incumbant.*

Mat. 24.

SEd ne frustra, spectabiles Archidiaconi, de nomine & officio nostro suscepta videatur ista disputatio, expendamus, obsecro, quid nominis, quid officii ratio à nobis exigat; ne si nomen vacuum & veluti imaginarium gradum retinuerimus, neglecti, imò deserti Officii seriùs nos pœniteat. Christi Domini atque Ecclesiæ illius Sponsæ ministerium nobilissimum sortiti, caveamus ne scelere ullo nostro dedecoretur, ullâve oscitantia negligatur. *Servus fidelis & prudens constitutus supra domini familiam, ne et iritici mensuram in tempore tribuat, super omnia domini bona constituitur.* Eia, præstemus nos fideles, ut Deo, proximo & nobis ipsis nostræ operæ bene collocatæ constet ratio. Prudentes simus, ut tempestivè & utiliter omnia peragentes, nec fallere velle, nec falli posse videamur. Quid oculi Episcoporum dicimur, si quæ videnda sunt oculis conniventibus, aut terrenorum humore caligantibus & suffulis conspexerimus?

Luc. II.

*Si oculus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Utique si purus Dei cultus, si merum Ecclesiæ subsidium, non vanæ laudis albugo, non turpis lucri lippitudo nos ad officium permoverit, totum Ecclesiæ corpus lucidum erit, nostroque exemplo splendescet; & si quæ membris peccati extiterit obscuritas, nostrâ operâ evanescet. *Sed si lumen quod in nobis est, tenebræ sunt, tenebræ ipsa quanta erunt?* Si cæci cæcis præstiterimus ducatum, quæ utrisque inferiorum foveæ vitandæ spes reliqua? Num peccatorum tendiculis involutos explicabit, *qui laqueum speculationi, qui rete expansum super Tabor evaserit?*

Mat. 5.

Oze. 5.

Quæ servandi Christi exercitus ratio, si speculator fiat proditor, & miles desertis signis ad Satanæ castra impiè transfugerit? Cogitate, obsecro, in hierarchia seu sacro Ecclesiæ principatu, sacrorum Operarios tantùm numerari iniquitatis nullos, nullosve cessatores: operationem nostram definitam, errore vel scelere immundis verbo Dei purgandis, & ita præparandis, ut gratiæ lumine sacerdotum opera possint illustrari. Hanc in hominibus purgationem inferiores cælestes hierarchæ promovent; Angeli videlicet, *administratorii illi Spiritus, propter eos qui hereditatem capiunt salutis, in ministerium missi.* Ita ut nobis cum Angelis, quæ Dei in nos magna honoris dignatio est, ejusdem circa homines operationis ac ministerii intercedat communio. At quæ ordinis inversio, si quos pro viribus, sui que numeris ratione cæteros præstare mundos oportuit, voluptatum cœnovolvari non pudeat, illudque audire à protervis, *ab immundo quis mundabitur?* Horrendum esset dæmonibus nos subjici, quos nostri



Exorcistæ ejiciunt; non posse nos excludere, quos ipsi à cæteris expellunt; indignum, durum eorum imperium ferre, quibus nostri administri imperant. Inanis equidem ritus, quo Aquiloni oppositi, stantes Evangelium pronunciamus, nisi contra eum qui stat in partibus Aquilonis, in illius castris fortiter dimicemus, qui Diaboli opera venit dissolvere. Christum, obsecro, Ministros suos alloquentem audiamus nos, qui Ministri ejus sumus & dicimur. *Qui mihi ministrat, ait, me sequatur. In medio vestrum sum sicut qui ministrat. Non veni ministrari, sed ministrare, & dare animam in redemptionem pro multis. Non est servus major domino suo: qui major in vobis, fiat sicut minor; & qui præcesser, sicut ministrator.* Numquam in eum Diaconi sive Ministri nomen verè quadrabit, qui ministerio non incubuerit; præeundo quippe, judicando, consulendo, Praeiores, Judices, Consules appellantur: neque qui ministrat, nisi in ministrando Dei & Ecclesiæ, se ministrum verè profiteri poterit. Ministrorum quidem improborum & inutilium turba Ecclesiæ est oneri, non honori; non subsidio, sed detrimento; luctui, non solatio: eaque non solos desertores averfatur & transfugas, sed & stertentes ac otiosos; qui talentum sibi creditum abscondunt, non augent. Execratur Dominus *servum inutilem, quem ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium, jubet projici.* Diaconum in sinistro humero gestare Orarium vult Ecclesiæ, <sup>a</sup> dexteram autem partem habere liberam, ut expeditius ad ministerium sacerdotale recurrat: eoque ritu nos vel silenter edocet, veternum excutiendum, incumbendum officio, disciplinæ faciendæ invigilandum, idque non segniter, sed studiosè & continenter præstandum: <sup>b</sup> *Egestatem enim operata est manus remissa; manus autem fortium divitias parat.* Veras certè & perennes minister ille comparabit, qui cœnum latratus, salebras aspernatus, per obstantia quælibet inoffenso pede Christum Dominum sequutus fuerit. Nam emenso hujus vitæ curriculo, ipsum assequetur, æternumque beatus audiet: <sup>c</sup> *Euge serve bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multate constituam: in ira in gaudium Domini tui.*

1. Joan. 3.

Joan. 12.

Mat. 10.

Mat. 10.

Luc. 12.

Cic 3. de legibus.

<sup>a</sup> c. Vnum orarium 19. di. ex 4. Concil. Toletano ubi glo. ad verb. sinistro humero. Hac idæo, ut extendatur quod debet transire de lava ad dexteram: id est, de temporalibus ad spiritualia, & hoc ostenditur, cum circumflectitur postea versus dexteram.

<sup>b</sup> Prov. 10.

<sup>c</sup> Mat. 25.

*Finis libri de Jure & Officio Archidiaconi.*

